MARCELLI ANCYRANI
DOCTORIS THEOLOGI
DISQUISITIONES II.
DE RESIDENTIA CANONICORUM.

Quibus accessit

TERTIA, *DE TACTIBUS impudicis, an sint peccata mortalia, vel venialia.*

CUM

COLLOQUIO CRITICO, de sphalmatis virorum in re literaria illustrium.



PARISIIS,
Apud JOANNEM COUTEROT, viâ Jacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DC. XCV.

Cum Approbatione, & Privilegio Regis.

LECTORI,

CUM ea vetus sit in republicâ literariâ consuetudo, & ejus civibus imposita lex, ut nunquam nisi redditâ ratione munera sua offerant, in hac potissimùm opusculorum collectione quæ publici juris fit, & quam præ manibus habes, Lector carissime, non solùm opus, verùm etiam necesse est huic legi obtemperare. Quis enim mentis ac sensûs compos in tantâ rerum varietate & argumentorum discrepantiâ, improvisam quæstionum ejusmodi coïtionis & societatis causam nolit anquirere?

Ex hoc igitur præloquio intelliges, harum disquisitionum primam, ad decretalem super specula de Magistris, *undetriginta ab hinc annis cum approbatione doctorum, & permissu superiorum, publici juris factam fuisse, adeóque mentem jucundissimâ voluptate lectionis explevisse, ac sententiæ novitate recreasse, ut opinio communis de immunitate residentiæ professorum canonicorum, non solùm fracta, sed prorsùs friabilis & improbabilis visa sit. Enimverò cùm juris naturalis esse constet, ut quilibet miles Christi in statione sibi creditâ fideliter permaneat, monstrum magis informe ac pertimescendum vitio naturæ aberrantis contingere non poterat, quam tot oneribus & provinciis distractus homo, qui & laudes Dei celebrare in ecclesiâ debeat, & triginta ab hinc leücis interpositis, aut sexaginta, in*

cathedrâ academicâ theologiam docere. Hæc munerum insociabilium condensitas omnibus emunctæ pietatis theologis visa est cupiditatis hominum indomabilis & exagerata perversitas. Qua ex re intelligi potuit faciliter, nullum esse officium tam sanctum atque solemne, quod non avaritia comminuere aut violare soleat. Tunc temporis eò res quippè devenerant, ut qui rempublicam capesserent in Galliâ summæ potestatis jure, invalescenti malo remedium adferre non abnuerint, adeóque diplomate autentico perfecissent, ni fati conscia sidera casûs hominum variantia, aut prava consilia obstitissent. Doctorum intererat multorum & canonicorum ejusmodi scriptum ac tantulum opus amplâ responsione retaliare: verumtamen conticuere omnes; intentique non solùm ora, verum etiam manûs &

crenas calamorum scapello malè temperatas, adeò tenuere, ut nihil prelo commissum, nihil typis publicis expressum sit, & præter cartas emporeuticas & annales Volusi manuscriptos in vulgus eruperit. Utcumque res sit, ex hac quæstione infinitæ ad immunitatem ab assiduitate canonicâ spectantes pullularunt, de principum symphonicis viris & judicibus prætorialibus curiarum superiorum & inferiorum, in quibus suos homines habet ecclesia, qui relictis indecorè suis sedibus, posthabito laudum divinarum cantu, & omni ritu christiano, consopitis antiquis legibus, quibus Christi ministris omni curatione rerum forensium interdictum est, vitilitigationum & negotiorum sæcularium gurgitibus, formâ & figurâ cleri penitùs expunctis, immerguntur. Inter eas quæstiones non minùs rempublicam miscuit, & va-

rios rumores excitavit, quæ spectat canonicos, quorum est in servitio & comitatu pontificum perpetua permansio, adeò ut sæpenumero extra diœcesis septa eorum contubernales commorentur. Plerique hominum theologorum sibi persuaserunt ex hac agendi ratione optimum ac nervosum argumentum assumi posse in gratiam & patrocinium sacræ theologiæ professorum, quorum merita si æquabili lance cum musicis & aliis viris sibi vindicantibus immunitatem à residentiâ librentur, graviora & præstantiora affatìm intelligere necesse sit. Quæ cùm ità sint, hac viâ locus amplissimus fuit apertus secundæ hujus collectionis disquisitioni, sive consultationi ad decretalem AD AUDIENTIAM, *de canonicis in comitatu commorantibus, cujus cum priori* ad decretalem SUPER SPECULA, *natu-*

ralem cohærentiam & convenientiam probare non opus est, de cujus lectione dubitandi locus non relinquitur, quin sanctis & doctis Ecclesiæ Gallicanæ patribus jucundissimè placitura sit.

Arduum magis & difficile est collationem & comparationem intelligere tertiæ disquisitionis, de tactibus impudicis, an sint peccata mortalia vel venialia, *cum materiâ de residentiâ canonicorum. Sed cùm ejusdem auctoris sit fœtus, cujus in penu literariâ non dubitandum est ampliorem reperiri materiam, quam nullus præter eum artifex expolivit, visum est habitâ ratione ætatis quam ducimus, hoc argumentum duobus aliis quæ antecedunt, non insociabile, quippe cùm ad doctrinam & disciplinam morum pertineat.*

Enimverò cùm ultimus diaboli

anhelantis crepitus, ſcilicet hæreſis Quietiſtarum, noſtris diebus contigerit, magis quidem ſuis conſectaneis, quàm per ſeipſam periculoſa & exitiabilis, quippè ab omni ſanæ theologiæ normâ alienior & ſenſui communi repugnans, benè ac ſapienter perſuaſum eſt, contra veterem Illuminatorum errorem ex primo Quietiſtarum principio ortum, ſummâ vi impetuque contendere. Nam ſi pro unico & ſolitario contemplationis, ut loquuntur, actu, qui faciliter & confeſtìm fit, quieſcendum ſit, nullaque habenda curatio ad diſcrimina & flagrantis libidinis vitia, in quæ ex altiſſimo virtutis gradu præcipitari poſſumus; manifeſtè conſequitur, aſpectûs & tactûs voluptuarios partium pudore naturæ magis reconditarum nec culpas eſſe, nec peccata lethalia.

Reverà fateri rotundè oportet,

non omnes Quietistas adeò extra modum prodiisse. Sunt enim quidam Semiquietistæ qui specie pietatis ad mentem sanctæ Theresiæ, sancti Francisci Salesii, Tauleri & Rusbrochij ascesim orationis quietæ defendere videntur, quos utcumque fateri opus est uberes fructus Ecclesiæ attulisse, & pietatem christianam florentissimam coluisse. Sed inficias ire non potis est, ejusmodi ascetas nec numero nec partibus Quietistarum penitùs adscriptos, saltem in eorum ditionibus arces quasdam, ceû locos humo congestâ firmatos atque munitos habere: qui sæpè vero Quietismo præsidium & propugnaculum extiterunt. Hæ duæ munitiones sunt I. δεσποτεία Directorum adversùs fœminas sibi votis obedientiæ excæcatæ & obtemperationis perfectæ adstrictas & consecratas; quibus sanctus pater Basilius

magnus neutiquàm patrocinatur epist. 184, *qua regimen animæ & directionem seipsum roganti nobilissimæ matronæ, cui nomen erat* Eleutheræ, *de divinis scripturis consolationem sufficere respondit*: ἔχουσα δὲ τὴν ἐκ τῶν θείων γραφῶν παράκλησιν οὔτε ἡμῶν οὔτε ἄλλου τινὸς δεηθήσῃ πρὸς τὸ τὰ δέοντα συνορᾶν, αὐτάρκη τὴν ἐκ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔχουσα συμβουλίαν, καὶ ὁδηγίαν πρὸς τὸ συμφέρον. Habens divinarum ſcripturarum conſolationem, neque nobis, neque alio quodam egebis ad videndum quæ tibi neceſſaria ſunt, ſatis habens ad utilitatem conſilium Spiritûs-ſancti, & viæ directionem.

II. *Munitio est nescio quæ gentis specie piæ ac devotæ dialectus, ceû elocutio à sanæ theologiæ dicendi modis prorsùs aliena, adeò ut tam intricato & inenodabili sermone*

loquantur, ut à nemine homine vel viro theologo intelligantur, & medullam cerebri sui ità distillent magnis & amplis, ut præ se fert, sensibus gravidam, ut aciem sagacissimæ mentis fascinent aut perstringant vehementer. His munitionibus armati theologastri, doctos & doctores theologos terrent & subigunt, idiotas & fœminas constringunt, supremo imperio regunt, ac factionem nulli potestati ecclesiasticæ subjectam, aut sæculari obnoxiam efformant: cujus imperii vires in obedientium consensu positæ sunt. Hac enim auctoritate & orationis inextricabilis concinnitate, specie vexandæ carnis, formosæ mulieres ac blennæ sponte vapulant, & regimen animarum, quod est ars artium, in abusum exitialem & noxium degenerans votis obtemperationis & obedientiæ lumine orbatæ sub personis

Specie piis directorum *emissis*, *aspere & inculte deformant. Ejusmodi hominum latera & ilia nervose impetit disquisitio tertia, cujus accessione duæ priores cumulatæ sunt, in qua deditâ operâ, cælatis nominibus, autor neminem indigitare, dedecorare aut contumeliâ afficere voluit*, tacenda arbitratus nomina eorum; sic eos faciliùs corrigi posse sperans, *ut inquit Sanctus Augustinus*, *lib.* 2° retract. *cap.* 33.

Hunc servare modum nostri novere libelli, *Martial lib. 10. epig. 33.*
Parcere personis, dicere de vitiis.

Jam dicendum superest de colloquio critico, *quod reverà nullam habere relationem ad prævias disquisitiones fatemur. Sed ejus lectione expletum iri animos lectorum eruditâ voluptate non dubitamus.*

Quippè cùm eo plurima ſanctorum patrum loca, quæ pleriſque videntur inextricabilia, faciliter explicentur, & Doctorum proteſtantium hallucinationes improbabiles incredibiliter retegantur, in quas aut affectu partium excæcati, aut falſæ religionis inſtinctu, aut factionis morſu ac malevolentiâ ſuffuſi Dallæi, Blondelli, Albertini & Salmaſii incurrerunt. Porrò ex hoc colloquio intelligere facile erit, quàm non ſolùm conducibile, verùm etiam neceſſarium ſit viris theologis linguæ Latinæ & Græcæ applicatâ mente ſtudere. Harum enim ope qui careat, nobiliſſimas planities & magnitudines regionum theologicarum impervias habeat neceſſe eſt, & æquatas nunquam videat.

Intereà perſuade tibi, Lector cariſſime, hujuſce colloquii autorem non primum inveniſſe pleraſque hal-

lucinationes, criticas observationes, & grammaticas restitutiones, quibus tuam mentem erigit & recreat; sed primum in apertum conjecisse & ex adversariis doctorum virorum partîm & membratîm excerpsisse, ut specimen efformaret dialogismi critici, quem multitudine innumerabiles ejusdem generis facilè sequerentur & infiniti.

Insuper in autoris aut typographi parsimoniam referre debes tibi collectim datas ejusmodi, tam diversi & discrepantis argumenti lucubrationes. Quæ cùm unum codicem efforment, unico diplomate privilegii alapas obtinuerunt, adeóque tenuïori pretio in lucem publicam proferuntur & væneunt. Interim nostris utere ac fruere laboribus. Hæc enim omnia qua fide, quave libertate scripta sint præfari supervacaneum videtur. Quippè cùm veri amorem

omnes ſcriptores æquabiliter præ ſe ferant, ac nulli ſæpenumero jactantiùs ſuam fidem obligare ſoleant, quàm qui vehementiùs violent. Igitur unum te rogatum vult autor, qui lucubrationes iſtas tuâ curâ & ſtudio dignabere, ut qualem ad ſcribendum jure poſtulas animum partium ſecurum mediumque, talem ipſe à factionibus liberum adferas ad legendum. Vale, Idibus Septembris M. DC. XCV.

AD

DECRETALEM
SUPER SPECULA.
DE MAGISTRIS.
HONORII III. SUMMI PONT.
Ex lib. v. Decret. Gregorii IX.

SIVE

DISQUISITIO FAMOSÆ quæstionis, an ſacræ Theologiæ Profeſſores, qui ſunt Canonici, à reſidentia immunes ſint?

CAPUT I.
Inſtituti operis ratio.

NON contentionis animo, nec per improbam contra opiniones vulgi κακοζηλίαν ad ſcribendum mentem appuli.

causa motæ litis insimulent; dicam libenter quod olim Ferrandus Diaconus Carthaginensis ad Anatolium & Pelagium diaconos Romanos. *Ecce interrogatus propter obedientiam silere non potui, respondens Magistris discipulus, doctis indoctus, majoribus minor.* Quippe scio me ab hoc disquisitionis genere facilè abstinuisse, nisi eorum quibus subjectus sum compulisset authoritas. *Cùm multa sancti bono pacis etiam cognita mala in hominum congregatione tolerant.* At cùm *arrogantiæ non sit quærere, vel asserere veritatem*, nec tutius *errare existimem quàm in defensione nimia veritatis*; utinam diligam homines quorum interficiam errores: sine superbia de veritate præsumam, & sine sævitia de veritate certem. Sed priusquam Decretalis investigationem persequamur, quid canonici & professores præs-

S. Aug. de unitate Eccles. cap. 11.

S. Aug. lib. 1. cont. lit. Petiliani.

tare teneantur intelligere necesse est.

CAPUT II.

De origine Canonicorum, & eorum institutione.

CANONICI à canonibus dicti sunt, quippe qui ad ritum ac præceptum canonum vitæ normam ac regulam observant. Porrò sîc vitam ducere juxta canonem apud clerum in more positum erat, ante annum à Christo nato trecentesimum decimum quintum, priusquam celebratum fuisset Concilium Nicænum primum. Id verò maximè intelligitur ex canone XVIII. hujus concilii; ubi mentio fit canonis seu regulæ quæ tunc in clero servabatur: *Fama venit ad sanctum &*

magnum Concilium, *quòd in quibusdam locis & urbibus diaconi presbyteris euchariſtiam præbeant*, *quod neque canon*, *neque conſuetudo tradidit.* Quamobrem concilii Laodicæni canone XV. cantores canonici recenſentur. In concilio Calchedonenſi dicendi ſunt epiſcopi *canonicè* ordinati, & apud Zonaram & Balzamonem epiſcopi *canonici* vocantur. Eodem ſenſu Juſtinianus Imperator ad annum à Chriſto nato DLIII. mulieres *canonicas* nominat, *Novella* LIX. quæ in Eccleſia canonem quemdam ac ſingularis vitæ regulam ſervabant. Igitur primulùm ineunte Eccleſiæ catholicæ ætate ſumma curatio fuit, ut preſbyteri & diaconi victu communi uterentur & æquabilem vitæ normam haberent. Quamobrem ſanctus Ignatius martyr qui ipſi Chriſto Sal-

vatori æqualis fuerat, quem ſe in carne vidiſſe aſſerit, ſcribens ad Smyrnæos, ait, *Omnes epiſcopum ſequimini, ut Jeſus Chriſtus Patrem, & Presbyterium ut Apoſtolos, diaconos autem revereamini ut Dei mandatum*; & in epiſtola ad Epheſios, *Subjecti epiſcopo & presbyteris, ſecundùm omnia ſitis ſanctificati.* Ampliſſimum hujuſce veritatis nobis ſuppeditat argumentum ſanctus Cyprianus in ſuis literis IV. & V. ubi jam ſtabilita preſbyterorum & diaconorum collegia indigitat, & Poſſidius in vita ſancti Auguſtini capite II. ubi doctore ac formatore Auguſtino multos è clero Hipponenſi aliarum eccleſiarum epiſcopos evaſiſſe commemorat. Ideóque tempore concilii Calchedonenſis ſub Leone I. anno Chriſti CCCCLI. ſtatutum eſt canone VI. neminem homi-

nem esse absolutè ordinandum. τοὺς δὲ ἀπολύτως χειροτονουμένους ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος ἄκυρον ἔχειν τὴν τοιαύτην χειροθεσίαν, *eos autem qui absolutè ordinantur decrevit sancta Synodus irritam habere ejusmodi ordinationem*, itémque clericum in duabus ecclesiis conscribi non debere, seu titulum obtinere: Can. x. Μὴ ἐξεῖναι κληρικὸν ἐν δύο πόλεων κατὰ ταὐτὸν καταλέγεσθαι ἐκκλησίαις, & infrà, καὶ ἐκεῖ μόνον λειτουργεῖν, *& ibi solum ministrare.* Olim quippe presbyter, diaconus, hypodiaconus, lector, certarum functionum erant nomina, atque onerum in qualibet ecclesia. Huic consentaneum est quod refertur ex concilio Placentino apud Gratianum Dist. LXX. *Sanctorum canonum statutis consonâ sanctione decrevimus, ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur, & in qua Ecclesiâ quis intitulatus, in ea perpetuò*

perseveret. Denique certum est eam fuisse primitivorum Christianorum mentem, ut qui ordinibus initiarentur, ad ministerium quoddam, seu officium ecclesiasticum ordinarentur, & destinarentur. Revera enim Pontificum posteriores constitutiones quæ hujus juris severitati videntur derogare, penitus hanc ministerii cum ordinatione societatem non perimunt. *Canone sanctorum.* Distinct. *eadem. Irrita non sit ordinatio, sed is qui ordinavit ordinatum, si egens sit, interim alere cogatur, dum certus ei Titulus assignatus fuerit.* Itaque hæc Sacerdotum ac Ministrorum inferiorum coitio successu temporis vocatum est Capitulum canonicorum, seu ministrorum canonicè viventium, cœperúntque indigitari hoc nomine, circa tempora Caroli Magni, quibus in

concilio Moguntino mentio fit canonicorum clericorum, cap. IX. Gregorius Magnus, lib. III. epistolarum XXXV. canonicos Sacerdotes appellavit eos, qui suæ ecclesiæ obstricti erant, sic olim Clerus Romanus & Carthaginensis Capitulum Romanum, & Carthaginense potuissent appellari. At verò ecclesiastici ac civilis canonis ambiguo vocabulo non inficetè ludit juxtà ac severè Volcuinus Abbas homiliâ de zizania apud Gerard. Vossium Etymologici latini pag. CII. verbo canon. *Rara avis in terris hodie canonicus est à canone vitæ. Unde ergo? audi unde, est namque canon vitæ, & canon pecuniæ, videlicet alicujus pensionis certæ, unde solet dici: solve mihi canonem meum, id est, pensionem meam. Eia ergo canonice, inveniamus canonem tuum, à quo derivaris? id est,*

à canone pecuniæ, non à canone vitæ; id est, à canone regionis, non à canone religionis.

At mirum certè quantâ curâ invigilaverit Ecclesia, ne à suo instituto deviarent illi inferiores ministri, & quantâ sollicitudine eis præpositos Decanos aut Rectores præposuerit ac præfecerit: cujus rei argumentum nobis suppetit ex capitulis Caroli Calvi ad annum Christi DCCCXLVI. in villa Sparnaco can. XIV. juxta editionem Sirmondi anni CIↃ. IↃCXXIII. *Ut canonici una in civitate, vel monasteriis sicut constitutum est in dormitorio dormiant, & in refectorio comedant, & in domo infirmorum necessariò subleventur, & tam sani quàm infirmi canonicè vestiantur, atque in claustris horis congruis degant, & sub custodiâ canonicâ lectioni & cæteris divinæ institu-*

tionis insistant officiis. Qui verò Episcoporum loci convenientiam, aut facultatem non habuerit, ut hoc perficere & ordinare possit, Princeps secundùm constitutionem Domini HLudovici Imperatoris annuat. Id est, si vicina Episcopio terra de eadem Ecclesiâ esse reperta fuerit, ab alio possidetur, Ecclesiæ rectori ad claustra clericorum, vel alia quælibet Ecclesiæ commoda facienda reddatur. Si autem de fisco fuerit, regia liberalitas eamdem terram ad servorum Dei habitacula construenda largiri dignetur Verùm enim verò hac sollicitudine non sola commendatur ecclesia Gallicana, sed etiam in Hungariâ dirissimis Ecclesiæ temporibus circa undecimum sæculum, instituti canonici vestigia non defuere: cùm fide indigna non sint synodalia decreta domini Archiepiscopi Laurentii Strigoniensis metropolitani,

cum decem ſuffraganeis; qui vixit tempore Colomanni regis Hungariæ mortui anno CIↃ. CXIII. quæ ſic habent: *Ut canonici in clauſtris & capellani in Curiâ litteratoriè loquantur, & omnes eccleſiaſtici ordines in majoribus eccleſiis habeant.* Verùm cùm de canonicis agitur, maximè in oculos incurrit illa regula canonicorum Crodogangi ſive Crodegandi Metenſis epiſcopi, qui vixit tempore Pipini regis Francorum, patris Caroli Magni, ubi minutiores vitæ canonicorum conditiones juſtâ bilance regulæ ſancti Benedicti librantur, & quam tanti fecerunt concilii Aquiſgranenſis patres anno ſalutis DCCC. XVI. celebrati, ut quidquid ad clericorum mores canonicè formandos conducibile videretur, in ſua decreta transformarent. Quod quidem primus benè ac ſapienter

obſervavit Domnus Lucas Dacherius congregationis ſancti Mauri illuſtris Monachus, qui hanc regulam ex MS. codice Abbatiæ Fiſcanenſis publici juris fecit, tomo primo Spicilegii anno CIↃIↃC. LV. At verò ſi tanta fuerit, ut nemini homini non conſtat, Eccleſiæ ſollicitudo ad canonicos efformandos, cui jam dubium ſubolere poteſt, primis temporibus relaxationes ceu diſpenſationes à reſidentia incogitabiles fuiſſe, & Eccleſiam ab onerum & provinciarum canonicarum functionibus cum miniſtris ſuis diſpenſare abnuiſſe? Fortaſſe tamen quidam jure novo ſecum diſpenſatum eſſe ſibi perſuadebunt, ſed econtra Decretalium Gregorii lib. III. tit. IV. *de clericis non reſidentibus*, mulctantur privatione beneficiorum non reſidentes clerici, ut patet cap. VIII. *Ex parte*

vestra. & cap. X. *Inter quatuor animalia.* Concilium Tridentinum sessione XXIV. in qua fusè discutit quales esse debeant promòvendi ad dignitates & canonicatus *cathedralium* ecclesiarum, quidve promoti præstare teneantur, hanc residentiæ regulam præscribit cap. XII. *Obtinentibus in eisdem Cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse.* Et cogit omnes canonicos ecclesiarum *cathedralium* sacros ordines suscipere, ut antiqui moris Ecclesiæ vigorem instauret, quo beneficium annexum erat ministerio. *In omnibus verò ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus ac portiones habeant, annexum ordinem presbyterii, diaconatus vel subdiaconatus.* Quamobrem Chopinus in suo Monasti-

co libri III. cap. III. canonicos vocat servos hebdomadarios, quasi glebæ astrictos. Unde orta est satis frequens apud veteres Jurisperitos loquendi formula, qua collatio beneficii cum ordinatione confundi videtur, ut docet ac propugnat Duarenus lib. 1. de sacris Ecclesiæ ministeriis ac beneficiis cap. XVI. cui dicendi modo forsan præbuerunt occasionem summi Pontifices Urbanus Papa in concilio Alverniæ: *Nullus Episcopus in ecclesia sua nisi diaconus sit archidiaconum instituere, nec archipresbyterum aut decanum nisi presbyteri sint, ordinare præsumat.* Et Calixtus Papa, *Nullus in præpositum, nullus in archipresbyterum, aut decanum, nisi presbyteri sint ordinare præsumat*, quæ Pontificum verba referuntur dist. IX. cap. I. & II. prima parte Decreti Gratiani.

CAPUT III.

De origine Doctorum, & sacræ Theologiæ Professorum.

OLIM Doctores audiebant solo titulo virtutis atque eruditionis legisperiti, qui populi Judaïci præfecti erant. Id facilè intelligitur ex cap. XXIX. vers. X. & XXXI. vers. XXVIII. Deuteronomii, ubi Doctores in versione vulgata nuncupantur & à Septuaginta γραμματοεισαγωγεῖς, qui in editione hebraïca שֹׁטְרֵיכֶם *Præfecti vestri* appellabantur, à radice שָׁטַר quæ præesse ac moderari significat, juxtà Santem Pagninum & Buxtorfium. Sic Christus dicitur sedisse in medio doctorum διδασκάλων, id est, legisperitorum, S. Paulus

Paulus Ephesiorum IV. verſ. XI. eodem ſenſu Paſtores Doctorum nomine ſignificat, *alios Paſtores & Doctores:* Et iiſdem veſtigiis inſiſtens epiſtolâ I. ad Timotheum cap. III. verſ. II. ait Epiſcopum oportere eſſe *prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem,* διδακτικόν, juxta quem ſenſum referuntur in decreto Ivonis parte V. cap. CCL. verba epiſtolæ Anacleti Pontificis, *Doctor autem, vel Paſtor eccleſiæ, ſi à fide exorbitaverit, erit à fidelibus corrigendus.* Tertullianus libri de Præſcriptionibus hæreticorum cap. III. mentionem facit Doctoris non ſecus ac miniſtri eccleſiæ. *Quid ergo ſi vidua, ſi virgo, ſi Doctor?* S. Cyprianus epiſt. XXIV. presbyteris & diaconis fratribus magiſtri veſtigia ingeminat. *Aut modò cùm Presbyteris Doctoribus lectores diligenter probaremus, Optatum*

inter lectores Doctorem audientium constituimus. Et concilium Toletanum IV. cap. XXV. habitum ſub Honorio I. anno Chriſti DCXXXIII. ſacerdotes Doctores appellat. *Ignorantia mater cunctorum errorum maximè in ſacerdotibus Dei vitanda eſt, qui docendi officium in populis ſuſceperunt: Sacerdotes enim legere ſancta ſcriptura admonet, Paulo Apoſtolo dicente ad Timotheum, intende lectioni & exhortationi. Doctores enim ſemper ſe in his permanere ſciant.* Hæc ultima verba in editione Regiâ conciliorum non leguntur: nec apud Gratianum Diſt. XXXVIII. canone *ignorantia mater.* Sed apud S. Burchardum decreti parte I. *canone* C. qui vixit Epiſcopus Vormatienſis anno MXX. & Ivonem Carnotenſem parte V. decreti can. CCII. Vixit circa annum Chriſti ML. At verò antequam celebrare-

tur illud concilium Toletanum IV. mentio erat Doctorum in Hispania frequens, quippe cùm non diû post concilium Illiberritanum in concilio Cæsaraugustano canone VIII. Doctoris nomen assumere sine licentia Episcopi vetitum sit, *Ut nemo Doctoris nomen assumat, nisi cui concessum est.* Cespitare videtur in limine David Blondellus in præfatione Gallicâ disquisitionis de Joannâ Papissâ, qui asserit Doctoratus epocham ante annum MCXXXVIII. non posse collocari, quâ ratione enim id fieri posset, si anno CCCXC. Doctoris nomen assumere sine concessione vetitum sit. Igitur tota doctoris provinciæ imponendæ authoritas penes episcopum fuit. Quippe Parisiis antequam prima Academiæ fundamenta jacta essent, pluribus sæculis espiscopales scholas floruisse anti-

qua hiſtoriarum noſtrarum monimenta clamant. Hujus ſcholæ epiſcopalis mentionem facit Gregorius Turonenſis lib. x. hiſtoriæ cap. XXVI. ubi dum contentionem ortam de epiſcopatu Pariſienſi explicat inter Faramodum & Euſebium poſt mortem Ragnemodi; narrat Euſebium illum datis muneribus epiſcopatum admiſſo grandi ſimoniæ ſcelere invaſiſſe, & omnem ſcholam deceſſoris ſui abjeciſſe. *Ragnemodus Pariſiacæ urbis Epiſcopus obiit. Cúmque germanus ejus Faramodus presbyter, pro epiſcopatu concurreret, Euſebius, quidam negotiatior genere Syrus datis multis muneribus in locum ejus ſubrogatus eſt: iſque accepto epiſcopatu omnem* SCHOLAM *deceſſoris ſui abjiciens, Syros de genere ſuo Eccleſiaſticæ domui miniſtros ſtatuit.* Claudius Hemeræus Theologus Pariſienſis, vir antiquitatis Aca-

demicæ peritiſſimus libro I. de Acad. Pariſ. cap. I. pag. v. ſub Germano Epiſcopo Palatium Epiſcopale nomen ſcholæ accepiſſe refert : *Jam verò ſub eodem Germano, palatium Epiſcopale nomen accipit ſcholæ, apud Gregor. Turon. lib.* x. *cap.* XXVI. *& apud eundem Fortunatum lib.* I. *carminum imago quædam effingitur ejuſdem Epiſcopi. Juvenéſque hinc regentis, indéque ſenes ſubrigentis ; id eſt, ut ego interpretor, ſcholam moderantis ſuam : è qua prodiiſſe Viros cùm alios infinitos, tùm eximia pietate apud nos illuſtres Briocum & Clodoaldum amborum acta teſtantur, & hunc Clericali gradu in eâdem Eccleſiâ refulſiſſe ait Sigebertus.* Hinc orta eſt dignitas Cancellarii, qui veluti epiſcopi Scholarchus, ſeu ſcholæ epiſcopalis moderator, profeſſores omnis artis ac diſciplinæ deſignabat; qui tantâ commendatione atque

existimatione ob summam eruditionem dignus habebatur, ut Robertus de Sorbona suâ ætate dixerit: *Multi bene respondent coram aliquibus simplicibus, qui malè respondent coram Cancellario, perterriti & stupefacti ob magnitudinem suæ sapientiæ.* Mirum sanè quanti viri in his episcopalibus scholis docuerint, & si antiquitùs Eusebio teste lib. v. hist. cap. x. Alexandrina Ecclesia Panthenum, Clementem, Origenem, Achillam doctores, ac professores habuisse glorietur: Parisiensis, gloriâ sibi partâ laboribus & industriâ Petri Lombardi, Mauritii canonici Parisiensis, Michaelis Ecclesiæ decani, Petri de Corbolio, Stephani de Langentona, Roberti Carnotensis, Odonis de Castro Radulphi, Philippi de Greva, Lucæ de Giffo, aliorúmque multitudine innumerabilium

illuſtratur. Sic enim in ſcholis epiſcopalibus grandis Academiæ rudimenta atque incunabula fuerunt. Quippe quo præcisè tempore fundata ſit, aſſerere difficile eſt, & hoc inpræſentiarum noſtri inſtituti non videtur eſſe, ultra cùm ſatis ſit, ſi veram Doctorum ac Profeſſorum originem aſſecuti ſumus. Dicam tantùm quæ refert Papyrius Maſſonius in vita Ludovici Pii Caroli Magni filii: *Pariſienſis, Patavina, & Ticinenſis Academiæ. Carolum Magnum parentem ſuum appellant.* Et in vita Caroli Calvi: *Carolus Calvus inter cætera, liberalium Artium diſciplinas unicè amavit, Profeſſoréſque earum undecumque in Galliam excivit, ut mihi videtur Pariſienſis ſchola originem ſuam huic potiùs debere quàm parenti aut avo.* Porrò hujus regnum fuit an. XXXVIII. ab anno ſcilicet Chriſti DCCCXLI.

ad annum DCCCLXXIX. vixitque annis LXIII. regnum obtinens ætatis XXV. juxta Chronicon Joannis Tilii de Regibus Francorum.

CAPUT IV.

Quid sit decretalis Super specula. de Magistris, *quando*, *quare*, *&* *à quo facta sit.*

SICUT recentioribus canonibus statutum est, ut non solùm in majoribus Ecclesiis, seu *Cathedralibus*, sed in cæteris etiam inferioribus, Magistri doctorésque liberalium artium juventutis erudiendæ causâ ab episcopis & ecclesiastico collegio constituerentur; eosdem etiam privilegiis ac dispensationibus quibusdam donari æquum fuit. Ideo Decretalis *Super specula*, ad quam nostræ

disputationis caput devolvitur, sancita fuit. Ut autem Lector quid illa sit faciliùs intelligat, operæ pretium me facturum putavi, si exscriptam ex libro v. decretalium Gregorii ix. tit. v. *de Magistris*, illam exponam. *Super specula* & infrà, *Volumus & mandamus, ut statutum in Concilio generali de Magistris Theologis, per singulas metropoles, statuendis inviolabiliter observetur, statuentes ut quia super hoc propter raritatem Magistrorum se possent aliqui forsitan excusare, ab Ecclesiarum Prælatis & Capitulis, ad theologicæ professionis studium aliqui docibiles destinentur, qui cùm docti fuerint in Dei ecclesia velut splendor fulgeant firmamenti, ex quibus postmodum copia haberi possit doctorum, qui velut stellæ in perpetuas æternitates mansuri, ad justitiam valeant plurimos erudire. Quibus si proprii proventus ecclesiastici non suffi-*

ciant, prædicti necessaria subministrent. DOCENTES VERÒ IN THEOLOGICA FACULTATE, *dum in scholis docuerint, & studentes in ipsa integrè per annos quinque percipiant, de licentia Sedis Apostolicæ, proventus Præbendarum & Beneficiorum suorum, non obstante aliquâ contrariâ consuetudine vel statuto, cùm denario fraudari non debeant in vineâ Domini operantes.*

I. Hæc decretalis confirmat anteriorem relatam eodem libro decretalium sub eodem titulo *de Magistris* cap. IV. *Quia nonnullis*, quamobrem eâ mente facta est ut prior illa executioni demandetur. Illud autem concilium generale, cujus mentionem facit, est Lateranense IV. sub Innocentio III. ex cujus cap. XI. exscripta est Decretalis *Quia nonnullis*, quam nostra confirmat.

II. Ratio propter quam hæc

decretalis *Super specula* sancita est, ex ipsiusmet lectione intelligitur, ea scilicet, quod cùm quidam ad Theologiæ studium variis in ecclesiis incumbere vellent, neglecti officii ac ministerii excusationes prætexerent, & imperitiæ causam raritatem Magistrorum, seu virorum erudiendis aliis idoneorum. Quippe duobus sæculis anterioribus tanta barbaries & ignorantia deformaverant Ecclesiæ ministros, ut jure merito infelicissima tempora dici possent. Quamobrem hoc sæculo XIII. ineunte, anno scilicet CIƆ.CCXVI. Honorius III. qui decennio integro rexit Ecclesiam inter Innocentium III. & Gregorium IX. Magistros in Ecclesiis præfici voluit qui alios docerent, ut deinceps ab aliis docti, & alios erudirent. *Statuentes ut quia super hoc propter raritatem*

Magistrorum se possent forsitan aliquò excusare, ab Ecclesiarum Prælatis & Capitulis ad Theologicæ professionis studium aliqui docibiles destinentur, qui cùm docti fuerint, in Dei Ecclesia velut splendor fulgeant firmamenti, ex quibus postmodum copia possit haberi Doctorum, qui velut stellæ in perpetuas æternitates mansuri ad justitiam valeant plurimos erudire. Igitur constat hac decretali creari & institui solùm doctores scholarum episcopalium, non verò Academiarum & Universitatum, quæ jam pleræque tempore Honorii III. conditæ & instauratæ erant quadringentis ab annis, præsertim Parisiensis, Patavina & Ticinensis, si conditæ fuerunt sub Carolo Magno, aut ejus nepote Carolo Calvo inter annum DCCCXLL & DCCCLXXIX. ut superiori capite observatum est, *ab Ecclesiarum Prælatis & Capi-*

tulis aliqui docibiles destinentur, ut antiquo jure renovato concilii Cæsaraugustani, *nemo Doctoris nomen assumat, nisi cui concessum est*. canone VII.

III. Illis hominibus designatis ad studium theologicæ professionis episcopi tenentur subministrare necessaria, si proprii proventus ecclesiastici non sufficiant. Utinam hodie ingentia tot sacerdotum bona reditúsque in usum erudiendæ juventutis ecclesiasticæ consumerentur!

IV. Mora temporis ad studium theologicæ disciplinæ definitur quinquennio, fructúsque, seû proventus præbendarum & beneficiorum discentibus & docentibus illo tantùm quinquennio conceduntur: revera cum docentibus major quædam videtur esse dispensatio. *Docentes verò in Theolo-*

gica facultate dum in ſcholis docuerint; ſed quid per iſta verba intelligendum ſit, cap. VII. hujus Diſquiſitionis innoteſcet.

Porrò Honorius III. hujus decretalis auctor, quo anno illam ediderit non conſtat, quippe cùm in collectione conciliorum aut pontificiarum epiſtolarum non occurrat, ſed ſolùm inter decretales Gregorii. Fuit autem vir frugi & ingentis meriti, egregius Eccleſiæ Paſtor, ordines Prædicatorum & Minorum monachorum confirmavit, ut refert Platina, ipſique Frederico II. Imperatori, qui ditionum eccleſiæ provincias depopulabatur communione ac ſupremâ dignitate interdixit, eò quòd ingrati animi vitio impoſitæ ſibi à Pontifice coronæ immemor, contra omne jus & æquitatem prædia pontificia vexaverit, profectúſque

Roma in Apuliam, ut ait Trithemius in chronico, cum magno suorum exercitu multa ibi bella commisit, Siciliámque suo imperio subjugavit. Attamen illum deinceps Honorius mitior factus, postulatione Joannis Regis Hierosolymitani Imperatorem sponsâ bonorum ecclesiasticorum restitutione in communionem recepit.

CAPUT V.

De decretali Quia nonnullis, *quam confirmat decretalis* Super specula.

EX can. XI. concilii Lateranensis IV. sub Innocentio III. celebrati anno Christi M. CC. XV. facta est decretalis, *Quia nonnullis.* Iste canon prorsus renovat XVIII. canonem concilii Lateranensis III. sub Alexandro III.

anno M. CLXXIX. at ut discrimen qualecumque inter has decretales intercedit, lector agnoscat; hîc etiam exscribendam duximus: & sic se habet.

Quia nonnullis propter inopiam legendi studium & opportunitas proficiendi subtrahitur, in Lateranensi concilio pia fuit constitutione provisum, ut per unamquamque cathedralem Ecclesiam magistro, qui ejusdem ecclesiæ clericos aliosque scholares pauperes gratìs institueret, aliquod competens beneficium præberetur, quo & docentis relevaretur necessitas, & via pateret discentibus ad doctrinam. Verùm quoniam in multis ecclesiis id minimè observatur, nos prædictum roborantes statutum, adjicimus ut non solùm in qualibet cathedrali ecclesia, sed etiam in aliis quàm sufficere poterunt facultates constituatur magister idoneus, à prælato cum capitulo, seu majori & saniori parte capituli eligendus,

gendus, qui clericos ecclesiarum ipsarum gratis IN GRAMMATICA FACULTATE; *& alios instruat juxta posse. Sanè metropolis ecclesia Theologum nihilominus habeat, qui sacerdotes & alios in sacrâ paginâ doceat; & in his præsertim informet, quæ ad curam animarum spectare noscuntur. Assignetur autem quilibet à capitulo unius præbendæ proventus, & pro Theologo metropolitano tantumdem*, NON QUOD PROPTER EFFICIATUR CANONICUS, *sed tamdiu reditus ipsos percipiat, quamdiu perstiterit in docendo. Quòd si fortè de duobus ecclesia metropolis gravetur; Theologo juxta modum prædictum ipsa provideat, Grammatico verò in alia ecclesia suæ civitatis quæ sufficere valeat, faciat provideri.*

1. Hæc constitutio longè majoris ponderis, ac momenti videtur esse quàm decretalis *Super specula*, per quam tamen robur confirma-

tionis accipit. Quippe decretum concilii œcumenici ex consensu omnium Theologorum infallibilis, ut loquuntur, est authoritatis. Decretalis verò *Super specula* solùm est Honorii III. & in collectione conciliorum nullibi occurrit. Quamobrem maximè valet, in quantum canonum executionem procurat conditorum in concilio Lateranensi sub Alexandro III. & altero Lateranensi sub Innocentio III. Enimverò, inquit Zozimus papa, apud Ivonem Carnotensem IV. parte decreti canone CCXXVI. *Contra statuta Patrum concedere aliquid, vel mutare, ne hujus quidem sedis potest authoritas.* Et quidni fas est dicere de concilio Lateranensi, quod de Nicæno I. cùm eadem Ecclesia congregata sit anno M.CCXV. quæ congregata est anno CCCXV. vel CCCXXV. Dixit S. Leo primus in

epist. ad Marcianum imperatorem, quæ refertur in Synodo Romana sub Bonifacio II. in collectione Holstenii anni M. DC. LXII. *Privilegia enim ecclesiarum sanctorum Patrum canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari. In quo opere auxiliante Christo fideliter exequendo necesse est me perseverantem exhibere famulatum; quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen spiritu Dei instruente sunt conditæ, me, quod absit, connivente violentur, & major sit apud me unius fratris voluntas, quàm universæ domus Domini communis utilitas.*

II. Ratio hujus canonis sanciendi à Patribus Lateranensibus est nonnullorum paupertas & inopia, quibus facultates desunt, quarum

ope conductitios habere possent magistros. Ideo gratis docentes instituit concilium in qualibet ecclesiâ *cathedrali. Ut per unamquamque cathedralem ecclesiam magistro, qui ejusdem ecclesiæ clericos aliósque scholares pauperes gratis instrueret, aliquod competens beneficium præberetur, quo & docentis relevaretur necessitas, & via pateret discentibus ad doctrinam.* Ex quo patet merè topicam esse hanc constitutionem, solásque ad episcopales scholas pertinere, minimè verò Academias & Universitates, de quibus ne γρῦ quidem in concilio Lateranensi. *Verùm quoniam in multis ecclesiis id minimè observatur, nos prædictum roborantes statutum, adjicimus, ut non solum in qualibet cathedrali ecclesia, sed etiam in aliis quàm sufficere poterunt facultates, constituatur Magister idoneus, à prælato cum capitulo, seu majori & saniori parte capituli eligendus.*

III. Non ſolùm theologicæ diſciplinæ Patres Lateranenſes conſulunt, verùm etiam grammaticæ: Quippe memores eloquentiæ omnium Patrum Græcorum, præſertim ſancti Baſilii, qui librum de legendis libris gentilium tantâ elegantiâ conſcripſit; & Latinorum, S. Hieronymi, qui tam vivido ſtylo pro elegantia ſermonis diſſerit epiſt. LXXXIV. ad Oratorem Magnum, & S. Auguſtini, qui librum IV. de doctrina Chriſtianâ eo animo compoſuit, ut Theologos ad ſtudium literarum humaniorum accenderet. *Nam cùm per artem Rhetoricam & vera ſuadeantur & falſa, quis audeat dicere adverſus mendacium in defenſionibus ſuis inermem debere conſiſtere veritatem.* & infrà. *Quis ita deſipiat ut hoc ſapiat? cùm ergo ſit in medio poſita facultas eloquii, quæ ad perſuadenda, ſeu prava, ſeu recta valeat pluri-*

lorum multitudo primis annis amplificata & innumerabilis fuit. Sed in variis ecclesiis inopia doctorum gravis & acerba fuit; adeò ut dicere possimus, plerasque ecclesias doctoribus & viris egere, quorum zelus Apostolicus, hoc est, secundùm scientiam, reputari possit. Utinam illi homines, qui jure fictitio suæ professionis theologicæ se *residentiæ* legibus obnoxios non putant, in illis ecclesiis ubi conscripti, seu *titulati* sunt, doctorum munere fungerentur! fulgerent, ut habent verba decretalis, *velut stellæ in perpetuas æternitates, & mansuri ad justitiam valerent plurimos erudire.* Academiæ seu Universitates copiâ potiùs quàm inopiâ laborant. Quid igitur si res ita sit, ut dubitandi locus nemini homini accuratè discutienti relinquatur, quâ ratione professores in theologiâ ca-

nonici contra canones, raritatem magiſtrorum cauſantur; cùm præſertim nunc temporis ratio diſpenſationis cum illis, ſi quæ unquam fuerit, penitus obliterata ſit? Ecquis enim non ſtupefactus doctorum multitudine innumerabilium qui ad docendum apti & idonei judicarentur facillimè? Præſertim in Academia Pariſienſi, Sorbona, & Regia Navarra ducentis aut trecentis ſociis occupantur, ex quibus forſan viginti extra urbem canonici ſunt, reliqui verò tanto labore ac ſtudio ad theologiam incumbunt, ut ſine gravi in illos injuriâ, ac penitùs inſulsâ contumeliâ raritas magiſtrorum cauſa *non reſidentiæ* legitima eſſe nequeat. Sed dato, non conceſſo, ut more ſcholæ loquar, decretalem *Super ſpecula* privilegium exiſtere profeſſorum, ac cum illis diſpenſationem à reſiden-

anno M. CLXXIX. at ut discrimen qualecumque inter has decretales intercedit, lector agnoscat; hîc etiam exscribendam duximus: & sic se habet.

Quia nonnullis propter inopiam legendi studium & opportunitas proficiendi subtrahitur, in Lateranensi concilio pia fuit constitutione provisum, ut per unamquamque cathedralem Ecclesiam magistro, qui ejusdem ecclesiæ clericos aliosque scholares pauperes gratìs instituere, aliquod competens beneficium præberetur, quo & docentis relevaretur necessitas; & via pateret discentibus ad doctrinam. Verùm quoniam in multis ecclesiis id minimè observatur, nos prædictum roborantes statutum, adjicimus ut non solùm in qualibet cathedrali ecclesia, sed etiam in aliis quàm sufficere poterunt facultates constituatur magister idoneus, à prælato cum capitulo, seu majori & saniori parte capituli eligendus,

gendus, qui clericos ecclesiarum ipsarum gratis IN GRAMMATICA FACULTATE, *& alios instruat juxta posse. Sanè metropolis ecclesia Theologum nihilominus habeat, qui sacerdotes & alios in sacrâ paginâ doceat, & in his præsertim informet, quæ ad curam animarum spectare noscuntur. Assignetur autem quilibet à capitulo unius præbendæ proventus, & pro Theologo metropolitano tantumdem*, NON QUOD PROPTER EFFICIATUR CANONICUS, *sed tamdiu reditus ipsos percipiat, quamdiu perstiterit in docendo. Quòd si fortè de duobus ecclesia metropolis gravetur, Theologo juxta modum prædictum ipsa provideat, Grammatico verò in alia ecclesia suæ civitatis quæ sufficere valeat, faciat provideri.*

1. Hæc constitutio longè majoris ponderis, ac momenti videtur esse quàm decretalis *Super specula*, per quam tamen robur confirma-

tionis accipit. Quippe decretum concilii œcumenici ex consensu omnium Theologorum infallibilis, ut loquuntur, est authoritatis. Decretalis verò *Super specula* solùm est Honorii III. & in collectione conciliorum nullibi occurrit. Quamobrem maximè valet, in quantum canonum executionem procurat conditorum in concilio Lateranensi sub Alexandro III. & altero Lateranensi sub Innocentio III. Enimverò, inquit Zozimus papa, apud Ivonem Carnotensem IV. parte decreti canone CCXXVI. *Contra statuta Patrum concedere aliquid, vel mutare, ne hujus quidem sedis potest authoritas.* Et quidni fas est dicere de concilio Lateranensi, quod de Nicæno I. cùm eadem Ecclesia congregata sit anno M. CCXV. quæ congregata est anno CCCXV. vel CCCXXV. Dixit S. Leo primus in

epist. ad Marcianum imperatorem, quæ refertur in Synodo Romana sub Bonifacio II. in collectione Holstenii anni M. DC. LXII. *Privilegia enim ecclesiarum sanctorum Patrum canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari. In quo opere auxiliante Christo fideliter exequendo necesse est me perseverantem exhibere famulatum; quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen spiritu Dei instruente sunt conditæ, me, quod absit, connivente violentur, & major sit apud me unius fratris voluntas, quàm universæ domus Domini communis utilitas.*

II. Ratio hujus canonis sanciendi à Patribus Lateranensibus est nonnullorum paupertas & inopia, quibus facultates desunt, quarum

ope conductitios habere possent magistros. Ideo gratìs docentes instituit concilium in qualibet ecclesiâ *cathedrali. Ut per unamquamque cathedralem ecclesiam magistro, qui ejusdem ecclesiæ clericos alióSque scholares pauperes gratìs instrueret, aliquod competens beneficium præberetur, quo & docentis relevaretur necessitas, & via pateret discentibus ad doctrinam.* Ex quo patet merè topicam esse hanc constitutionem, soláSque ad episcopales scholas pertinere, minimè verò Academias & Universitates, de quibus ne γρῦ quidem in concilio Lateranensi. *Verùm quoniam in multis ecclesiis id minimè observatur, nos prædictum roborantes statutum, adjicimus, ut non solum in qualibet cathedrali ecclesia, sed etiam in aliis quàm sufficere poterunt facultates, constituatur Magister idoneus, à prælato cum capitulo, seu majori & saniori parte capituli eligendus.*

III. Non solùm theologicæ disciplinæ Patres Lateranenses consulunt, verùm etiam grammaticæ: Quippe memores eloquentiæ omnium Patrum Græcorum, præsertim sancti Basilii, qui librum de legendis libris gentilium tantâ elegantiâ conscripsit; & Latinorum, S. Hieronymi, qui tam vivido stylo pro elegantia sermonis differit epist. LXXXIV. ad Oratorem Magnum, & S. Augustini, qui librum IV. de doctrina Christianâ eo animo composuit, ut Theologos ad studium literarum humaniorum accenderet. *Nam cùm per artem Rhetoricam & vera suadeantur & falsa, quis audeat dicere adversus mendacium in defensionibus suis inermem debere consistere veritatem.* & infrà. *Quis ita desipiat ut hoc sapiat? cùm ergo sit in medio posita facultas eloquii, quæ ad persuadenda, seu prava, seu recta valeat pluri-*

mùm, cur non bonorum ſtudio comparatur, ut militet veritati, ſi eam mali ad obtinendas perverſas variâſque cauſas in & uſum iniquitatis erroris uſurpent?

IV. Quoniam dignus eſt operarius mercede ſuâ, & denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes, largitur eccleſia proventum unius præbendæ profeſſori grammaticæ, & tantumdem à metropolitano vult aſſignari profeſſori theologo. *Aſſignetur autem cuilibet magiſtrorum à capitulo unius præbendæ proventus, & pro Theologo à metropolitano tantumdem.* Præbendam noluit aſſignare Eccleſia, ſed proventum: dubio procul ne profeſſor à reſidentiâ & aſſiduitate præbendæ, profeſſionis theologicæ jure immunis evaderet. Enimverò hoc *non reſidentiæ* ſcelere attonita Eccleſia in concilio Lateranenſi univerſa, vetat iſtum profeſſorem

ſieri canonicum, NON QUOD PROPTER HOC EFFICIATUR CANONICUS, illúmque non ut titulatum, ſed conductitium miniſtrum eſſe decernit. Proindeque ſi fortè profeſſioni nuntium mittat, ac ſtudio theologico, eccleſiaſtico fœnore, ac ſtipendio illi interdicit, illum annuo præbendæ proventu ſpoliat, *Sed tamdiu reditus percipiat, quamdiu perſtiterit in docendo.*

CAPUT VI.

Quid ſignificent hæc verba decretalis Super ſpecula, propter raritatem magiſtrorum, *an faveant* non reſidentiæ, *& an ſit hodie illa raritas magiſtrorum?*

RARITATE Magiſtrorum nunquam laboraverunt ab origine ſuâ Academiæ, immo il-

lorum multitudo primis annis amplificata & innumerabilis fuit. Sed in variis ecclesiis inopia doctorum gravis & acerba fuit; adeò ut dicere possimus, plerasque ecclesias doctoribus & viris egere, quorum zelus Apostolicus, hoc est, secundùm scientiam, reputari possit. Utinam illi homines, qui jure fictitio suæ professionis theologicæ se *residentiæ* legibus obnoxios non putant, in illis ecclesiis ubi conscripti, seu *titulati* sunt, doctorum munere fungerentur! fulgerent, ut habent verba decretalis, *velut stellæ in perpetuas æternitates, & mansuri ad justitiam valerent plurimos erudire.* Academiæ seu Universitates copiâ potiùs quàm inopiâ laborant. Quid igitur si res ita sit, ut dubitandi locus nemini homini accuratè discutienti relinquatur, quâ ratione professores in theologiâ ca-

nonici contra canones, raritatem magiſtrorum cauſantur; cùm præſertim nunc temporis ratio diſpenſationis cum illis, ſi quæ unquam fuerit, penitus obliterata ſit? Ecquis enim non ſtupefactus doctorum multitudine innumerabilium qui ad docendum apti & idonei judicarentur facillimè? Præſertim in Academia Pariſienſi, Sorbona, & Regia Navarra ducentis aut trecentis ſociis occupantur, ex quibus forſan viginti extra urbem canonici ſunt, reliqui verò tanto labore ac ſtudio ad theologiam incumbunt, ut ſine gravi in illos injuriâ, ac penitùs inſulsâ contumeliâ raritas magiſtrorum cauſâ *non reſidentiæ* legitima eſſe nequeat. Sed dato, non conceſſo, ut more ſcholæ loquar, decretalem *Super ſpecula* privilegium exiſtere profeſſorum, ac cum illis diſpenſationem à reſiden-

tiâ. Certè cessante causâ cessare debet effectus. Quippe ut ratiocinatur. S. Thom. III. parte summæ art. III. in corpore: *Cùm in sacrâ scripturâ ubique assignetur ex peccato primi parentis Incarnationis ratio, convenientiùs dicitur Incarnationis opus ordinatum esse à Deo in remedium contra peccatum ita quòd peccato non existente, Incarnatio non fuisset.* Quidni dicam pariter, cùm in jure canonico dispensationis ratio à *residentia* raritati magistrorum assignetur, convenientiùs dicitur dispensationem ordinatam esse ab Honorio III. in remedium contra raritatem magistrorum: ita quòd raritate non existente dispensatio à residentiâ cum canonicis non fuisset. At revera luce meridianâ clarius est raritatem magistrorum in Academiâ Parisiensi non esse; cessante causâ igitur cesset effectus. *Tolle morbos, tolle vulnera, nulla est me-*

dicinæ causa, inquit S. Augustinus serm. IX. de verbis Apostoli. Ergo cùm nemo, nisi de potestate mentis excesserit, possit hanc hodie raritatem prætexere, quippe cùm potiùs remedium multitudini quàm raritati admovendum esset: Inaniter somniarunt, si idonea aliquando pullulasceret Theologorum copia adhuc aliquid loci huic privilegio & immunitati futurum. Dimittant, igitur canocicatus suos professores, nec professionem acceptent canonici. Immo & patrimonium pauperum, quo nullo jure abutuntur restituant: *Scientem errare peccatum est, nam ignorantibus nonnumquam solet ignosci.* Optatus Milevitanus lib. II. adversus Parmenianum. Atqui poterit doctoribus, sapientissimis magistris nostris ignorantia condonari? Forsan ad consuetudinem in favorem tra-

ductam ex industriâ, legis ac decretalis interpretem appellabunt. *Hanc sententiam si nulla scriptura determinavit, certè consuetudo corroboravit.* Tert. de coronâ militis. Quippe dicent, quòd in concilio Carthaginensi anno CCCCXIX. ut refertur in codice ecclesiæ Africanæ Christophori Justelli. *Faustinus episcopus Plebispotentinæ provinciæ Italiæ Piceni, Legatus Romanæ Ecclesiæ dixit: Injuncta nobis sunt à sede Apostolicâ aliqua per scripturam, aliqua etiam in mandatis cum vestra beatitudine tractanda, sicut & gestis superioribus meminimus, hoc est, de Nicænis canonibus, ut conserventur & constituta eorum & consuetudo, quia & aliqua ordine & canone tenentur, aliqua consuetudine firmata sunt.* Unde S. Augustinus epist. v. *Ipsa quippe mutatio consuetudinis etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat*, & Photius in Nomocanone tit. I. cap. III. περὶ τȣ̃

φυλάττεσθαι τὸ ἄγραφον ἐκκλησιαστικὸν ἔθος ὡς νόμον. Eamdem consuetudinis antiquæ authoritatem probant Ivo Carnotensis IV. parte decreti, & Gratianus Dist. I. VIII. XI. XII. & alibi, sicut & supra omnes doctè & eleganter illustrissimus Petrus de Marca lib. III. de concordia Sacerdotii & Imperii cap. IX. Hæc omnia bellè quidem, sed unde nobis tam flagitiosæ consuetudinis argumenta sujicient? Revera nostris temporibus in omnes canones, & antiquæ Ecclesiæ mores, ille abusus, illa prava consuetudo exsurgit, ac sævit; sed numquid non sciunt communis opinionis autoritatem minimè vereri debere qui eam se validis argumentis videat rectè posse refellere ex Joanne Andreæ in caput I. de Const. Alexand. in I. prolatis, & ex S. Thoma quodl. IX. art. XV. *multa per pa-*

tientiam tolerari, quæ si in judicium fuerint deducta justitiâ cogente cassarentur. Absit ergo ut tam prava consuetudo nunquam senescat! *Mala enim consuetudo*, inquit concilium Suessionense III. anno DCCCLXVI. *quæ non minùs quàm perniciosa corruptela vitanda est, nisi citiùs radicitùs evellatur; in privilegiorum jus ab improbis assumitur, & incipiunt prævaricationes, variæ præsumptiones celerrimè non compressæ pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuo celebrari.* Hisque libenbenter dicerem quæ tam nervoso stylo gentibus exprobrat Afer Arnobius lib. VII. contra gentes: *Facitis enim quod fieri cernitis; non quod fieri oportere confiditis: nimirum quia apud vos plus valet nullam habens consuetudo rationem, quàm rerum inspectâ naturâ veritatis examinatione pondera.* Sed immo, celeberrimi Sorbonæ professores canonicatus acceptare

noluerunt Philippus Gamacheus, Andreas Duvallius, Nicolaus Yſambertus, viri certè μεγαλόνυμοι, & ipſe Jacobus Hennequinus ὁ μακαρείτης, theſaurarius, ac canonicus inſignis eccleſiæ Trecenſis nullâ retentâ penſione eſſe deſiit, cùm theologicam profeſſionem apud Sorbonicos ſibi impoſitam amplexus eſt, quâ ſpatio quinquaginta annorum & ampliùs tenui pretio ducentarum libellarum, ſed ingenti honoris ac gloriæ acceſſione cumulatus, perhonorificè functus eſt. Heû ſanctiſſimi doctores ſacra *reſidentiæ* jura per deſuetudinem abroganda non putabant!

CAPUT VII.

Quid ſignificent hæc verba, in ſacrâ Facultate Theologicâ docentes, *an faveant* non reſidentiæ *profeſſorum canonicorum*.

CIRCA finem decretalis, *Super ſpecula*, quam hîc uſque ad lacinias ventilare & excutere videmur, hæc verba leguntur : *Docentes verò in Theologicâ Facultate, dum in ſcholis docuerint, & ſtudentes in ipsâ per annos quinque percipiant de licentiâ Sedis Apoſtolicæ proventus præbendarum & beneficiorum ſuorum.* Ex quibus noſtræ ſententiæ & *reſidentiæ* adverſarii colligunt, decretalem noſtram non merè topicam eſſe, nec ad eccleſiarum ſingularum cauſas reſpicere : Sed ad Academiarum & Univerſitatum profeſſores. *In Theologicâ*

Theologicâ facultate ; hoc eſt ; inquiunt ; Facultate theologicâ ; qualis eſt Pariſienſis , quæ præcipuum eſt Academiæ ſeu Univerſitatis membrum. Ita plerique cenſent , & hæc opinio multitudini placet. Sed papæ ! quàm facilè vulgi deluditur cerebrum cùm nulla ſit rerum ἀνάκρισις. Quippe hæc dicendi formula ; *in facultate docere* ; trita erat illa ætate , qua Honorius III. decretum illud ſanxit ; ut intelligeretur diſciplina ; quæ doceretur ; non verò congregatio doctorum ; qualis hodie ex voce *Facultatis* intelligitur. Sic ergo in *Facultate Theologicâ docentes* ſunt facultatem theologicam , ſeu potiùs diſciplinam ac ſcientiam theologicam docentes τὴν δύναμιν , ut patet manifeſtè ex antecedente decretali Innocentii III. *Quia nonnullis* ; ubi mentio fit do-

centium *in grammaticâ facultate, & in sacrâ pagina*, pro disciplinâ grammaticâ, atque interpretatione sacræ paginæ. *A saniori parte capituli eligendus qui clericos ecclesiarum ipsarum gratis instruat.* Quasi verò grammaticæ professores à residentiâ immunes vi illius decretalis evaderent? minimè. Quia per grammaticam facultatem intelligunt omnes disciplinam, non congregationem ac sodalitium Grammaticorum, qualis est, verbi gratiâ, Parisiis Facultas artium, quæ non ignobile membrum est Universitatis Parisiensis, ex quo reliquæ Facultates Theologiæ, Juris, ac Medicinæ, tanquam è fonte & scaturigine diffluunt. Sic anno M. CLXXIX. à quo non remota est ætas decretalis *Super specula*, quæ est anni circiter M. CCXVI. vocantur *in Theologiâ studentes* pro *theologiæ studentes* in

epist. Alexandri III. summi pontificis Wilelmo Senonensi Archiepiscopo contra Petrum Lombardum relatâ apud Matthæum Paris in historiâ Anglicanâ sub Henrico III. pag. XCV. editionis Parisiensis anni M. DC. XLIV. & apud eumdem historicum anno M. CCLVI. pag. DCXXXII. Magistri Wilelmus de sancto Amore, Odo de Doato, Christianus Belvacensis, & alii dicuntur rexisse & legisse *in Artibus, Decretis & Theologiâ*, His quippe temporibus quibus omnino extincta elegantia, atque in paroxismo erat latinitas, barbaries hanc formulam affectabat. Tunc temporis variæ disciplinæ, quæ in Universitate docebantur, nondum occasionem dederant discrepantiæ Facultatum ac secretioni congregationum theologiæ, juris, ac medicinæ, sicut hodie &

ferè centum ab annis in more positum est Parisiis. Quamobrem cùm Honorius III. privilegium concessit *docentibus in theologicâ facultate*, & Innocentius III. *in grammaticâ facultate*, de Academiarum, atque Universitatum professoribus minimè cogitaverunt, sed solummodò scholarum ecclesiasticarum, atque episcopalium Magistris: quorum penuriâ ac raritate ignorantia mater cunctorum errorum vitari non poterat. Ex quibus manifestè intelligitur quàm sit ἀλόγιστος theologus, qui jam de privilegii vero sensu ambigat propter hæc verba, *Docentes verò in theologicâ facultate, dum in scholis docuerint, & studentes in ipsa integrè per annos quinque, de licentia sedis Apostolicæ percipiant proventus præbendarum & beneficiorum suorum.* Si quod sit enim hîc privilegium, tam pro docen-

tibus quàm ſtudentibus quinquennio perſtringi videtur, quippe cùm ibi particula, *dùm*, non pro *donec* accipienda ſit, ut in Eunucho Terentii, *expectabo dùm veniat*, ſed potiùs ſubintelligenda eſt ei annexa particula, *interea*, ut in milite glorioſo Plauti actus II. ſcena VI. *Nam jam aliquo effugiam, & me occultabo aliquot dies* DUM *hæ conſileſcunt turbæ, atque iræ leniunt.* Quis neſcit etiam particulam *dum*, conjunctionem eſſe quæ paſſim ſignificat *modò*, vel *dummodò*, qua ratione eâ uſus eſt *Criſpus Romana primus in hiſtoria*, in Jugurtha, *Neque id quibus modis aſſequeretur, dùm regnum ſibi pareret quidquam penſi habebat.* & in Catilina, *Poſtremò neque ſumptui, neque modeſtiæ ſuæ parcere, dùm illos obnoxios fidoſque ſibi faceret.* Sed quid hîc in pulvere grammatico ſulcos diducere neceſſe eſt; *Humana ſunt iſta* *Arnobius lib.*

placita, & ad usum sermonis faciendi non sanè omnibus necessaria. Enimverò cùm de Academiarum professoribus ne minimam quidem mentionem fieri apertè sit demonstratum, in favorem non residentiæ, Decretalis nostræ interpretem, demùm scio prorsus excordem, cæcum, & incogitabilem, ut Plautinis utar verbis. *Sed si non intelligit, præoccupatione impeditur erroris. Si autem non vult intelligere, pervicaciæ vitium est, quo suum defendit errorem.* Sanctus Augustinus lib. 11. de nuptiis & concupiscentia cap. XXIII.

1. contra Gentes.

CAPUT VIII.

Professores canonici secundùm jus canonicum, & concilium Tridentinum residentiæ lege tenentur.

SANCTUS Bernardus lib. III. de consideratione dispensationum regulam præscribit, sic enim alloquitur minimè adulatorio, sed verè Apostolico sermone Eugenium III. summum Pontificem. *Quid*, inquit, *prohibes dispensare, non, sed dissipare, non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores, ut fidelis quis inveniatur, ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas dico communis, non propria: nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* Hanc dispensandi normam semper Ec-

clesia secuta est, quamobrem toto titulo *de clericis non residentibus*, ubi causæ *non residentiæ* quotquot sunt justæ ac legitimæ examinantur, ne minima quidem professorum mentio occurrit. Hic titulus legitur lib. III. decretalium Gregorii; tredecim capita continet, in quibus nulla quidem ratio habetur professorum Canonicorum. Immò sanè mirum est, quantâ acerbitate canonicis, atque aliis clericis residentiæ regula præscribatur! Concilium etiam Tridentinum sess. VI. de reformatione cap. II. si quod esset *non residentiæ* favens privilegium expressè revocat. *Episcopis inferiores quævis beneficia ecclesiastica personalem residentiam de jure, sive de consuetudine exigentia in titulum, sive commendam obtinentes ab eorum ordinariis, quemadmodum eis pro bono Ecclesiarum regimine, & divini cultus augmento lo-*

eorum, & personarum qualitate pensatâ, expediens videbitur opportunis, juris remediis residere cogantur, nullique privilegia, seu indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis suffragentur.

Ex quo fas est colligere quàm tenuis & exigui momenti sit privilegium decretalis *Super specula*, quod non impedit quominus professores canonici ab ordinariis residere cogantur. Sed ut in hoc negotio suspiciosum ac dubium nihil relinquatur: iterum sese explicans audiatur concilium Tridentinum sess. XXIV. de reformatione cap. XII. *Obtinentibus in eisdem cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse.* Quidni cum professoribus dispensatum est, cùm omne privilegium

quovis statuto aut consuetudine stabilitum prorsus revocatur? Verumenimverò ne sibi jurgii causam inferri, quibus hanc rem, seu *residentiam* curatio nulla est, existiment, nósque ex verbo captare contumeliam, etiam hujus concilii mentem in sess. v. cap. 1. celare neminem volumus. Ibi enim hæc verba suæ negligentiæ prima fronte favere quidam sentiunt. *Docentes verò ipsam sacram scripturam, dum publicè in scholis docuerint, & scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum præbendarum, & beneficiorum suorum in absentia à jure communi concessis plenè gaudeant & fruantur.* Ecquid inde in dubium venire posset? De Academiis & Universitatibus ibi ne verbulum quidem. Concilium decernit creari professores in ecclesiis *cathedralibus*, collegiatis & gymnasiis publicis,

qui ſacram ſcripturam ſcholares doceant. Quid tum? Qualecumque enim eſſet hoc privilegium; ad ſolos ſcripturæ ſacræ interpretes duntaxat reſpiceret, ad ſcholaſticarum ſubtilitatum præcones neutiquam. Enimverò Concilium hanc lectionem ſcripturæ inſtituit in gymnaſiis etiam publicis ubi tam honorifica lectio hactenus inſtituta non fuerit, vel ſi inſtituta fuerit & neglecta vult reſtitui: quod ſpectare nentiquam poteſt Univerſitatem Pariſienſem, in quâ ante têmpora concilii Tridentini ſemper lecta fuit ſcriptura, & ſcholaſtica Theologia florentiſſima ſemper extitit. Sed utcumque res ſit, *Huic privilegio derogaſſe*, huic favori renunciaſſe Sorbonæ Pariſienſis collegium capite hujus diſquiſitionis IX. tam clarè patebit, ut in hac causâ nihil quod probationis,

aut defensionis indigeat esse possit. Non enim quemadmodum plerique homines putant, omnia sunt in eloquentiâ, est quædam perspicua veritas, ut eam infirmare nulla res possit.

CAPUT IX.

Sorbona privilegio non residentiæ *speciatim derogat.*

SI quod sit non residentiæ privilegium, ratione professionis, facto splendidiore, atque eminentiore documento illi renuntiare non potuit Sorbona, quàm cùm institutionem cathedræ Theologicæ pro interprete sacræ scripturæ acceptavit; in quâ omnis via *non residentiæ* occluditur. Quippe ejus electionem, si canonicus sit, irritam prorsus, ac nullam esse agno-

vit. Sed ut altiùs hoc negotium repetatur, anno R. S. H. M DCVI. clarissimus vir dominus Peljayeus in supremâ rationum regiarum curiâ Parisiis Magister, *seû consiliarius*, pro ea pietate ac religione quâ pollebat, cathedram theologicam fundavit pro interprete scripturæ sacræ in collegio Sorbonico, ratus hac ratione faciliorem viam sterni hæreticis ad veram Christi Ecclesiam. Hujus cathedræ professori annuum reditum pro victu & honesto vestitu satis amplum assignavit, sed eâ lege & præcipuâ conditione, ut professor, qui eligeretur, nullam habeat curam pastoralem intra vel extra urbem Parisiensem, *nullúmque beneficium obligans ad residentiam, qualis esset extra urbem canonicatus*. Quid plura? Christianissimus Rex Ludovicus XIII. Henrici Magni patris vestigia insecutus, extir-

pandæ Calvinianæ hæreſeos zelò fervens regiâ liberalitate cathedram *controverſiarum*, quam vocant, in Sorbonâ fundavit menſe Octobri anni R. S. H. M. DCXVI. cujus inſtitutionis, ſeu creationis diplomate, *non reſidentiæ* reo, omni dignitate profeſſionis ac provinciâ interdicit, illúmque cathedrâ regiâ penitùs arcet. Acerbum quibuſdam forſitan videbitur tam expreſſa quàm clara juſſa Chriſtianiſſimi fundatoris referre: ſed ne illa in autographo gallicè ſcripta, verſione obſcurâ latinè nimis audax deteriùs ſcriberem, Lector attende: *Et afin que d'ailleurs il n'y ait aucun ſujet de divertiſſement en l'exercice de ladite place, lecture & conference par nous ordonnée, nous voulons qu'ils s'abſtiennent de toutes les proviſions & collations qui leur pourroient être accordées*, de cures
» d'Egliſes parochiales, dignitez aux

Eglises cathedrales & collegiales, « & de tous autres benefices qui re- « quierent residence continuelle, « principautez & administrations de « colleges, & qu'au cas qu'ils les « veüillent accepter, ils soient tenus « de quitter ladite place de lecture, « ordonnée par ces Presentes; & en « cas qu'ils ne le fissent, & qu'ils vou- « lussent retenir lesdits benefices, « principautez, ou administrations, « nous voulons que six semaines « aprés qu'ils en auront pris posses- « sion sans attendre plus long-temps « pour connoître si elles leur peuvent « être paisibles ou litigieuses, ladite « place erigée par ces Presentes soit « censée, & reputée vacante, & qu'il « y soit pourvû, suivant la forme qui « sera cy-aprés ordonnée: *comme aussi* « *nous leur deffendons de se charger de faire des Sermons durant les Advents, les Carêmes, Dimanches, & autres Fêtes, &c.*

Donné à Paris au mois d'Octobre l'an de grace mil six cens seize, & de nôtre regne le septiéme, Signé, LOUIS.

Non hæc sunt verba, sed tonitrua & fulgetra, quæ *non residentium* feriunt capita & colla torquent. An Sorbona tales acceptasset conditiones, si jure canonico, si ab Honorio III. cum professoribus à residentia & assiduitate dispensatum fuisse cogitasset? sed hæc nondum satis: Anno M. DCXXXVIII. comitiis extraordinariis habitis die XIX. Decembris, omni jure activo & passivo societatis, *non residentibus* interdicit, illósque ab omni administratione arcet, & in suas ecclesias relegat, trimestre spatium vestigiis concilii Tridentini insistens tantùm concedit. Porrò hîc decretum Sorbonicum exscribere operæ pretium est. *Nulli habenti beneficium obligans ad residentiam, nisi veniat concionaturus*

cionaturus per adventum, vel quadragesimam, vel octavam corporis Christi licebit in civitate Parisiensi singulis annis plusquam per tres menses vel continuos, vel interruptos commorari, quo elapso trimestri si ulteriùs in prædicta civitate manserit, nisi diuturnioris absentiæ à beneficio causas, sive publicas, sive privatas exposuerit, eásque justas, ac legitimas esse societas censuerit, privabitur ipso facto omni jure societatis, tum activo, tum passivo, excepto jure cubiculi jam acquisiti, vel acquirendi; nec expectandum erit, donec monitus fuerit, sed cùm primùm trimestre elapsum fuerit privabitur, sicut antè dictum est, atque si deinceps velit frui juribus societatis, illius erit legitimas, ac justas causas afferre, de quibus, ut dictum est, societas judicabit. Omnes causas *non residentiæ* legitimas Sorbona commemorat, conciones in adventu, in quadragesima, in octava corporis Christi. Æquum certè fuisset

professores non omittere, si sine iniquitate potuisset. *Nulli habenti beneficium obligans ad residentiam licebit in civitate commorari.* Ergo si professores habent caconicatus, qui beneficia sunt *ad residentiam obligantia*, non licebit eis in civitate commorari; immo ejusmodi homines professores revera non sunt, *quia omni jure activo & passivo ipso facto privantur.*

Hæc omnia retaliare, ut faciliter se posse putant diversæ partis Theologi, objiciunt hoc privilegium propagando latiùs Nicolaum IV. explicasse in diplomate erectionis Universitatis Ulyssiponensis, ex quo intelligitur clarissimè in gratiam & emolumentum professorum Universitatum non Ecclesiarum particularium hoc privilegium datum fuisse. *Statuimus*, inquit Pontifex ad annum CCXC. apud Raynaldum num. LIII. *ut*

universi Magistri actu regentes in Civitate prædictâ proventus præbendarum & beneficiorum suorum, etiamsi personatus & dignitates existant, quotidianis distributionibus exceptis, integrè percipere valeant. Sed hoc privilegium Universitatis Ulyssiponensis quod singulare est & extra modum procedit in gratiam Dionysii Regis Lusitaniæ concessum, reliquas Academias non spectat. Nemini enim homini in mentem venit, omnes nullo dempto, Academiarum professores sive grammaticæ sive Theologiæ debere percipere fructus suarum præbendarum, absque onere residentiæ & assiduitatis in choro. Odericus Raynaldus unde extraxerit hoc diploma privilegii non refert; quod insuper nullam habet relationem ad decretalem *Super specula* nec ad decretalem *quia nonnullis.* Adeoque cùm in rem

quæſtionis quam tractamus nihil conferre videatur, illud amplius inquirere ſupervacaneum eſt.

CAPUT X.

Concluſio.

APPELLO jam ad conſcientiam & eruditionem tuam, amice Lector, exſurgat Deus & judicet cauſam. Qua ratione enim contingere poteſt ut eruditum cerebrum tam flagitioſa, tam diſciplinæ eccleſiaſticæ, ac ſanctimoniæ cleri exitialis opinio, ſolius ignorantiæ aut avaritiæ gnata occupet? Quæ cùm juri canonico, conciliis, decretis pontificum, rectæque rationi contraria ſit, nequidem umbram illius, quam vocant probabilitatis, habet. Nunc igitur, ut cum S. Auguſtino loquar, libri

de unitate Ecclesiæ cap. IV. *Aperta veritas clamet & luceat, in obturatas aures irrumpat, dissimulantium oculos feriat.* Et si quis nobis fortè difficultatum nostrarum solutionem, quam enixè postulamus, in vinculo charitatis, impertiri dignetur, memor sit Augustiniani præcepti, *Nolit in opertis immorari ne aperta fateri cogatur.* Nos verò solo veritatis desiderio, & amore hæc scripsisse testamur, quippe καλὸν τὸ διδάσκειν, ἐὰν ὁ λέγων ποιῇ. Bonum est docere si dicens facit. Interim πολλά ὑμῖν γένοιτο ἀγαθά, ὅτι οὐδὲ τὸ ῥῆμα ἀκοῦσαι φέρετε, Multa vobis eveniant bona, qui ne quidem referri ista sustinetis. *S. Chrysost hom.* V. *in epist. ad Titum.*

De unit. Ecc. cap. IV.

S. Ignatius ep. III. *ad Ephes.*

FINIS.

Sanctus Augustinus lib. II. Retractationum cap. XXXIII.

Tacenda arbitratus sum nomina eorum, sic eos facilius posse corrigi sperans.

INDEX CAPITUM.

APPROBATIO THEOLOGORUM *Parisiensium.*

NOs infrà scripti Doctores Theologi Parisienses legimus & probavimus opus Marcelli Ancyrani theologi in curiâ Romanâ prælati, cui titulus est, *Ad decretalem Super specula. de Magistris. Honorii III. summi Pontificis, ex libro* V. *decretalium Gregorii IX. &c.* in quo nihil deprehendimus contrarium fidei Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ. Datum Parisiis die x. mensis Februarii ann. R. S. H. M. DC. LXVII.

GUIGNARD.

GERBAIS.

CONSVLTATIO.

DE CANONICIS IN ſervitio ceû comitatu Epiſcoporum commorantibus, & in ſedibus Eccleſiarum ſuarum non reſidentibus.

CAPUT PRIMUM.

Inſtituti operis ratio. Status Quæſtionis proponitur.

CUM adultâ jàm ætate ità ut ineunte Chriſtiani ritus, Eccleſiæ principes audiant Epiſcopi, ſucceſſores Apoſtolorum, queis

omnes homines qui veræ Religioni nomen dederunt obtemperare debent; ut ex scriptis sancti Ignatii martyris intelligimus. πάντες τῷ ἐπισκόπῳ ἀκολουθεῖτε, ὡς Ἰησοῦς χριστὸς τῷ πατρί. *Omnes Episcopum sequimini, at Jesus Christus Patrem.* ὁ τιμῶν ἐπίσκοπον ὑπὸ θεοῦ τετίμηται, ὁ λάθρα ἐπισκόπου τι πράσσων, τῷ διαβόλῳ λατρεύει.

Epist. ad Smyrnaeos.

Honorans Episcopum à Deo honoratus est; & qui occultans ab Episcopo aliquid operatur, Diabolo præstat obsequium. Dubitandi locus non relinquitur quin Episcopi summi sint disciplinæ & œconomiæ totius Ecclesiæ præfecti, adeóque in eorum sapientiâ ac potestate posita sit verbi divini prædicatio, sacrorum omnium consummatio, pœnitentiæ administratio, plena & integra ministrorum dispositio, & cum iis justa mu-

nerum & functionum diſpenſatio. Utcumque res ſit, cùm Eccleſiarum majorum ſeu cathedralium canonici non ſolùm facti, ſed etiam nati ſint Senatus Epiſcopalis Conſiliarii, Patres conſcripti, fidelium ſaluti cooperatores unà cum Epiſcopis, denique cœtus antiqui ceû Preſbyterii Senatores, quos primulùm ſequi tenebantur fideles ut Apoſtolos: πάντες ἀκολουθεῖτε καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ ὡς τοῖς ἀποστόλοις. *Omnes ſequimini & Presbyterium ut Apoſtolos.* Eoſdem ſcire neceſſe eſt, ſe debere eſſe ſubjectos Epiſcopis. ἀντίψυχον ἐγὼ τῶν ὑποτασσομένων τῷ ἐπισκόπῳ πρεσβυτέροις διακόνοις. *Unanimis ego cum ſubjectis Epiſcopo, Presbyteris, Diaconis*; & ad verbi divini prædicationem, Sacramentorum adminiſtrationem, cæteraſque muneris Epiſcopalis vices idoneos eſ-

Epiſtol. S. Ignatii ad Smyrnæos & Epheſios.

Epiſtol. ad Policarp.

fieri. Quæ cùm ità fuerint principio rerum Christianarum, bonorum omnium ceû oblationum fidelium curationem ad Episcopos pertinuisse necesse est: adeoque penès eos fuisse partitìm inter vineæ domini operarios distributionem, & ad laboris mensuram divisionem.

Ex his omnibus consequitur clarissimè, jus vindicatum fuisse transferendi in rem ministrorum opes seû bona Ecclesiæ, habitâ ratione officiorum & servitii, iis adjudicata fuisse tanquam mercede conductis famulis stipendia. Quæ cùm tempore continenti titulis episcoporum, presbyterorum, diaconorum, sive abbatum, canonicorum & curatorum adscripta fuerint honoraria prædia, in usuram hominum his honoribus & muneribus exorna-

torum conversa & translata, non confestìm, sed sensìm sine sensu, beneficia cœperunt nuncupari. Verùm enim verò ad ejusmodi beneficiorum ceû prædiorum fructus hac disquisitione anquirimus, & quæstionem speciatìm proponimus: scilicet, an Canonicus relictâ sede suæ ecclesiæ & propriæ diœcesis, neutiquàm sui prædii glebæ adstrictus, sed rebus alienis, sui episcopi diœcesim aut ecclesiam minimè spectantibus occupatus, modo prolatans lites, aut vitilitigationum corolloria, addens & remoras forenses, in negotiorum ludis otiosè consenescens, & in strenua inertiâ nomine servitii & comitatus episcopi, possit & debeat suæ stationi præsens reputari, & beneficii fructus & emolumenta percipere; immò verò pœnis Jure

canonico desertoribus militiæ Christi impositis, liber & immunis evadere, & privilegiis ac favoribus rependi solitis militibus fidissimis, & in suâ statione die nocteque vigilantibus frui.

Hæc quæstio Abbates aut Priores, quos vocant Commendatarios, non spectat. Quos præfectura aut gubernatio monachorum in claustris non attinet. Cùm perversus fiduciarum usus, seû commendarum, non paucis ab hinc annis, in rectum & tolerabilem incredibili miraculo, conversus sit, & Ecclesiæ autoritate & patientiâ refusus.

Parochos etiam Curatos haud attinet, quos jure divino lege residentiæ adstringi nullus dubitat, aut Ecclesiastico adeò stricto & aspero, ut Episcopus pipulo seipsum differre videretur, si quem

paſtorem ejuſmodi lege ſolveret.

Nuſquam pariter anquirimus de canonicis Eccleſiarum non cathedralium, quos in admiſtrationem diœceſis, nomine ſui beneficii vocari aut applicari ab Epiſcopis inſolens & rarum eſt, & quos ſede vacante curationem diœceſis habere jura vetant. Æquabili ratione Vicarios generales & Officiales omittimus, quos ſedula in diœceſi permanſio infinitorum negotiorum acceſſionibus cumulata, ſummâ aſſiduitate & quotidanâ præſentiâ in choro jurè merito liberat, ad quos non aggregare non poſſumus Pœnitentiæ præfectos, Eccleſiaſtas ceû Theologos, aſſiduè ceû ter aut bis ſingulis hebdomadis in ſcholâ Epiſcopali, ſeû comitio canonicorum, Scripturæ interpre-

tes, & ſacræ Theologiæ lectores, & generatìm omnes canonicos ad res eccleſiæ ſive capituli tractandas qui bona fide, ſine fraude, nec nomine aut ſimulatione litis inferendæ aut faceſſendi cuiquam negotii, non continuo nec longo, ſed anguſto & contracto ad ſummum trimeſtri tempore deputantur. Ejuſmodi enim hominibus in ſervitio Eccleſiæ laborioſis, fructus ſuorum beneficiorum jura naturalia vindicant, non ſecus ac ægris & morbo non ficto laborantibus; quippè cùm juſtum & æquum ſit neminem hominem propriis ſtipendiis militare.

Ex his omnibus manifeſtum conſectaneum erumpit, ſcilicet, quæſtionem iſtam de canonicis validis Eccleſiarum cathedralium dumtaxat excitari; qui ut moris eſt, polituli, bene capillati, οἰοὶ

πολυπράγμονες, quandoque tamen ſpecie pii, exercitati vultus & longo ſyrmate induti, calanticâ lanæa auriculis accomodatâ, per urbem Lutetiam incedunt, & in aulâ majore palatii Pariſienſis ſæpè ſtrenui & ſimul inertes deambulant; & per mollia & luculenta alia Urbis ambulacra ſeipſos circumducunt, & ſub ſpecie ſervitii, & nomine comitatus Epiſcopi, ædes Collegiorum Univerſitatis Pariſienſis incolunt, ipſamque Sorbonam reluctantem vehementer & contradicentem, exemplo peſſimo contaminare tentant, dignitates Præpoſiti; Cantoris, Canonici, Archidiaconi, in beneficia *Commendataria* & ſimplicia magno cum opprobrio transformant, & majorum ſapientiam ludificant, conſopitis legibus Synodi Pariſienſis anni

M. DC. LXXIII. quæ conceptis verbis his ſe habent capite V. *Omnibus Curatis ſive hujus ſivè alterius Diœceſis prohibemus vi ſanctorum Conciliorum*, ET ALIIS HABENTIBUS BENEFICIA OBLIGANTIA AD RESIDENTIAM, QUALES SUNT CANONICATUS ET DIGNITATES, *quominus Pariſiis permanſionem faciant ibique provincias munera & officia ulla ſuſcipiant ſuæ reſidentiæ repugnantia. Mandamus elapſo menſe poſt ſtatutorum noſtrorum promulgationem, ut in ſua ſe benficia confeſtìm recipiant; ſecus facientes ſuſpenſos declaramus, & eis omnibus functionibus Eccleſiaſticis ipſo facto interdicimus.*

Ego verò ut privilegium quod ſibi vindicant ejuſmodi homines ſpecie ſervitii & comitatus, nullum & ſupervacaneum eſſe de-

monſtrem, ad ſcribendum mentem appuli, ipſique nec Eccleſiam Catholicam, nec Facultatem Theologicam Pariſienſem, nec Sorbonam, nec Academiam patrocinari defendam. Ex hujus enim lucubrationis lectione faciliter intellectum iri mihi perſuadeo à viris doctis & hominibus ſincerè piis, vi Juris Canonici & doctrinæ Sorbonicæ ejuſmodi palantes canonicos eſſe in ſedes ſuas, impoſitis pœnis graviſſimis, relegandos.

CAPUT II.

Quid sit intelligendum ex Capite Ad Audientiam, *quod est* XV. *Lib.* III. *Decretalium Gregorii* IX. *ex quo canonici in servitio & comitatu Episcoporum jus sibi vindicant non residentiæ seû absentiæ à sedibus suarum Ecclesiarum.*

CAPUT *Ad Audientiam* quod est Honorii III. summi Pontificis, qui rexit Ecclesiam inter Innocentium III. & Gregorium IX. ab anno scilicet M. CCXVI. ad annum M. CCXXVII. hisce conceptum verbis legitur. *Decernimus ut duo ex Canonicis Ecclesiæ memoratæ*, sive Melden-

sis, *in tuo servitio existentes suarum fructus integrè percipiant præbendarum, cùm absentes dici non debeant, sed præsentes, qui tecum pro tuo & ipsius Ecclesiæ servitio commorantur.* Ex his enim intelligere non erit difficile hoc privilegium neutiquàm patrocinari non residentiæ.

1°. Hoc capite sancita non est lex generalis quæ spectet omnes generatìm Ecclesias, quippè cùm singulatìm Ecclesiam Meldensem attineat. Cujus collegium cùm sit amplissimo canonicorum numero coactum, duorum absentium ministerio non eget, & facile eorum præsentia se abstinere potest. Insuper necesse est habitam esse rationem multitudinis aut paucitatis canonicorum; quippe cùm privilegium istud, quod conceditur singulariter Ec-

clesiæ Meldensi, prorsus irritum subjicitur pro Ecclesia Antiochenâ, capite sequenti; quo fructus seû reditus absentium in gratiam præsentium transfert Pontifex, & in servitio Ecclesiæ permanentium. *Sanè nobis innotuit quod Ecclesia Antiochena multis servitoribus ejus est destituta ferè ministris. Unde mandamus quatenus non-obstantibus Apostolicis indulgentiis, & prædecessorum tuorum licentiâ, absentes canonicos & assissios revoces ad residendum in Ecclesiâ supradictâ, & si non venerint, ipsi Ecclesiæ facias congruè deserviri, in utilitatem ejusdem quod ex præfatis beneficiis, superfuerit convertendo.* Quis ex his luce meridianâ clariùs non intelligat privilegium Ecclesiæ Meldensi concessum & in Antiochenâ irritum, non posse ad eas ecclesias porrigi quæ

paucitate canonicorum & miniſtrorum laborant, ſed ad eas quæ multitudine abundant contrahi?

11°. Quotieſcumque neceſſe exiſtimatum fuit, ejuſmodi privilegium eccleſiis concedere, ſingulatìm examinatæ & diſcuſſæ ſunt rationes & cauſæ poſtulationis, ut patet ex capite *Dilectus*, in quo ſummus Pontifex hanc gratiam annuit poſtulanti canonico Metenſi, qui in ſervitio Sedis Apoſtolicæ commorabatur; & capite *Ex parte tuâ*, quo poſtulatis conceſſit Præpoſiti de Valeriis, in quo culpam abſentiæ non reſediſſe declarat, nec juramentum violaſſe reſpondet. *Poſtulationi tuæ taliter reſpondemus, quod ſi te abſentando in fraudem præpoſituræ tuæ jura fideliter proſequeris, cùm ex hoc cenſeri debeas reſidens, perjurium non incurris.*

III°. Hoc privilegium non concessum est in gratiam solitarii servitii episcopi, per se & divisìm desiderantis, sed conjunctìm & ecclesiæ & diœcesis cui præest. *Fructus integrè percipiant præbendarum, sed præsentes, qui tecum & pro tuo & ipsius Ecclesiæ servitio commorantur.* Particula enim, ET, copulativa est; servitiumque episcopi & ecclesiæ individuum reddit & significat; adeò ut si dirimantur, & unum ab altero eximatur, privilegium evadat irritum & nullum. Ex hoc lemmate consequitur Corollarium certissimum, scilicet Canonicos non solius Episcopi servitio, sed unâ Ecclesiæ, bona fide & sine fraude addictos, posse obtinere privilegium capitis *Ad Audientiam*, & suæ præbendæ fructus adipisci; sin minus, pœnis pro peccato non residentiæ

residentiæ impositis teneri, capite *Inter quatuor animalia*, & capite *Ex tuæ devotionis*, quæ referuntur eodem titulo IV. libri III. Decretalium Gregorii IX. IV capite *Ad Audientiam*, privilegium pro ecclesia Meldensi ad duos canonicos perstringitur concessum, capite *De Cætero*, quod est VII. tituli de clericis non residentibus, quod in gratiam generatìm canonicorum, donec in servitio episcopi fuerint, promulgatum fuerat ab Alexandro III. At verò prætermittere non debemus istiusmodi privilegium ad praxim & executionem adductum non fuisse generaliter ipsomet tempore Alexandri III. Quippècùm confirmaverit autoritate apostolicâ statutum capituli ecclesiæ Parisiensis, quo solis canonicis in servitio summi pon-

tificis aut Regis Criſtianiſſimi commorantibus, immunitas à reſidentiâ conceſſa fuerat anno M. C LXX. 2. Idus Decembris. Hujuſce diplomatis pontificii apographum publici juris fecit in inveſtigandâ antiquitate doctus & laborioſus Stephanus Baluſius tomo II. Miſcellaneorum pag. CCXXXIII. ex ſchedis clariſſimi & doctiſſimi viri Jacobi Sirmondi Societatis Jeſu Theologi, cujus fidem in referenda antiquitate nec catholici nec diverſæ partis ſcriptores in ſuſpicione ponunt.

CAPUT III.

Quid significent hæc verba Capitis Ad audientiam. In tuo servitio existentes. *Ex quibus assumitur privilegium percipiendorum fructuum à canonicis, in quibus non residentiæ culpa residet.*

NIHIL magis frequens apud politioris & infimæ latinitatis scriptores hoc vocabulo, *servitii*, occurrit : quod in capite *Ad Audientiam*, sensum prorsus alienum ab iis habere videtur. Terentius ad significandam servi seû mancipii de lapide empti functionem prodidit in Andriâ actu IV. scena I. in qua Da-

vus Pamphilum herum ſic alloquitur. *Ego Pamphile hoc tibi pro ſervitio debeo, conari manibus pedibus, noctesque & dies capitis periculum adire dum proſim tibi: tuum eſt ſi quid præter ſpem evenit mihi ignoſcere, parum ſuccedit quod ago aut facio ſedulò, vel melius tu aliud reperi, me miſſum face.* Quis verò ſibi perſuadeat ſermonem adeo ſervilem & mediaſtinum couvenire canonicis eccleſiæ cathedralis, magiſtratibus eccleſiæ ſenatus & epiſcopi? Eodem ſenſu Virgilius hoc vocabulo uſus eſt Ecloga I. verſu XLI. *Quid facerem neque ſervitio me exire licebat?* Et I. Æneïdos, *Quam domus Aſſaraci Pithyum claroſque Mycenas, ſervitio premat & victis dominabitur Argis.* Incredibile videtur etiam hoc ſermone, *in ſervitio epiſcopi*, intellectum fuiſſe

ſervitium humile & illiberale, quod mediâ latinitatis ætate ſervitium Epiſcopale dicebatur, & in cultu jugerum terræ, & quæſtu ruſtico, ex iis qui manſi vocabantur facto & quæſito conſiſtebat; quod ſatis patet tabulario eccleſiæ Gratianopolitanæ, ſub Hugone epiſcopo folio LI. relato tomo III. gloſſarii doctiſſimi D. du Cange pag. DCCC. XXX. *In mandamento de Teyra dedit Artaldus epiſcopus parentibus Dalmatii boni filii tres manſos, poſtea prædictos manſos dedit Pontius claudus epiſcopus Pontio de Domena. Dalmatius habet ſervitium epiſcopale.* Improbabile eſt canonicos & ſacerdotes, ejuſmodi operibus villicorum agelli aut ſylvarum implicitos & diſtentos fuiſſe, quibus & agrorum culturâ & ſulcandâ vomere terrâ

interdictum erat. Servitium etiam feodale & prædiale canonicis & sacerdotibus aut aliis ecclesiæ ministris neutiquàm convenit: nec sumptum servitium pro servitio aut mensaria supellectile; nec pro ministerio vel officio quod reges & principes spectat, ad mentem S. Gregorii Turonensis lib. v. historiæ capite III. & codicis Carolini epistola LXXII. apud idem glossarium D. du Cange; aut officio eccesiastico quod horas canonicas aut liturgiam spectat ex concilio Narbonensi anni M.CC. XXXV. capite XXIX. *aut servitio eorumdem, scilicet Valdensium, ubi majore ipsorum tenente librum apertum, per ipsum quasi sub generali confessione remissionem intelligunt fieri peccatorum.* De cœtero si servitium episcopi de quo mentio fit capite *Ad Audien-*

tiam, hunc ſenſum habeat, privilegium non reſidentiæ extra diœceſim concedendum non reliquit epiſcopis adverſùs canonicos. Quippècùm officia eccleſiaſtica, ſive liturgiæ publicæ extra diœceſim faciendæ, iis niſi petitâ ab altero licentiâ, non incumbant, quæ quidem adeò eorum ope neutiquàm indigent. Quod cùm ita ſit, privilegium latum capite *ad audientiam*, non reſpicit canonicos, niſi intra limites diœceſis propriæ, epiſcopo conducibiles dum rura & parœcias viſitat.

11. Reverà ſi ità ſe res habeant, non ſolùm opus, verùm etiam neceſſe eſt, canonicos non continuo, nec longo tempore abeſſe; ne in vitium erumpens ex pluralitate beneficiorum inſociabilium, propter functionum

contrarietatem currant; quo interdictum est eodem titulo de clericis non residentibus, capite III. *Quia nonnulli. ne cùm unum officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vindicent plurimorum.* Æquabili ratione eo capite prohibitum est, quominùs ministerium committatur homini, quin residere in loco, & curam ejus per seipsum valeat exercere, impositis gravissimis pœnis & conditionibus asperrimis. *Cùm igitur ecclesia, vel ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur quæ residere in loco, & curam ejus per seipsam valeat exercere. Quod si aliter actum fuerit; & qui receperit, quod contra sacros canones accepit, amittat; & qui dederit, largiendi potestate privetur.* Lex eadem sancita fuerat in concilio Lateranensi ab Ale-

xandro III. ſummo Pontifice, quo reſpondit archiepiſcopo Eboracenſi, ut tali perſonæ eccleſia vel beneficium eccleſiaſticum conferatur, quæ reſidere in loco, & curam eccleſiæ per ſe valeat exercere. At verò quî fieri poteſt, ut canonicus qui Lutetiam eo conſilio appulit, ut lites deditâ operâ factas dirigat, ne dirimantur caveat, ad opem eccleſiæ & diœceſi ferendam iners & inutilis, ejuſmodi ſit, ut reſidere in loco, & curam eccleſiæ per ſe valeat exercere? An potis eſt abſentiæ iſtiuſmodi cauſa juſta & honeſta reputari? Quippècùm oporteat epiſcopum & ſacerdotem eſſe non litigioſum. Si fortè is ſit unde petitur defenſor litis, non debet preſbyteros aut canonicos ad tam vile & illiberale opus interponere & adhibere, ſed

causarum curatores pragmaticos, homines laïcos, quos vocant Græci περὶ τὰς δίκας πραγματευομένους, καὶ τὰ τῶν δικαζομένων πολὺ πραγμονοῦντας, quibus suæ causæ procuratio & instructio commendata sit.

III. Insuper si ex capite *ad audientiam*, intelligendum sit servitium episcopi extrà diœcesim commorantis, nec longo tempore, nec iteratis vicibus & frequentibus intelligi potest; quippè cùm jura vetent episcopo diû aut frequenter à sua diœcesi abesse, econtrà verò sæpissimè ad visitationes, verbi divini prædicationem, & sacramentorum administrationem jubeant adesse, adeoque intra limites ac diœcesis metas diversari. Quis verò sibi mentis compoti persuadeat, sanctam Ecclesiam jus adscripsisse episco-

pis transferendi in ſuos canonicos tantulum ac tam futile privilegium, ut à ſedibus diœceſis abeſſe poſſent breviſſimo tempore & rariſſimo, ex quo lucrum adeò tenue, emolumentum tam rancidum emungerent, ut reverà nullum poſſe dici videretur? Ex his enim manifeſtè conſequitur incredibile & incogitabile eſſe jure canonico, & capite *ad audientiam*, abſentiam canonicis extra diœceſim, ſub nomine & ſpecie ſervitii aut comitatûs epiſcopalis, adjudicatam & confirmatam fuiſſe. Porrò ex his perſpectum habere faciliter poſſumus, quantum ſit crimen, canonicorum, præpoſitorum, & cantorum eccleſiarum cathedralium, qui ſub nomine ſervitii aut paropide comitatus epiſcoporum, ne quidem eorum contubernales, in ædibus

collegiorum magno cum Academiæ Parisiensis opprobrio permanent, ibique in utramque aurem securè dormiunt, consopiti procul à strepitu & sonitu campanarum, ad veternum canonicum dissipandum benè ac sapienter institutarum. Sed amplius erumpet veritas ex capite sequenti.

CAPUT IV.

Quid significent hæc verba, In comitatu episcopi, *quibus fulcitur jus percipiendi fructus, à canonicis non residentibus.*

1. CUM ex illiberali nomine servitii, jure expressi, negotiosum fastidium incurrere cœperit in mentem canonicorum,

eorumque vanitati viſa ſit magis laborioſa apud pontifices deſidia & laboris fuga, quàm ad eccleſiam propriam curatio & in choro ſedulitas, pudore ſuffuſi, nominis ſuâ humilitate pertimeſcendi, ſervitium in comitatum libenter tranſtulerunt. Quippè ſplendor & amplitudo comitatus quæ reges & principes attinent quorumdam prælatorum aciem oculorum etiam fortè perſtrinxerunt. Et cùm alia tempora alios mores poſtulent, poſtpoſitis rebus apoſtolicis, diplomata ſeû litteras comitatus, aureis Eccleſiæ ſæculis ignotas, & pauperum piſcatorum ſucceſſoribus incogitabiles, emiſerunt in gratiam canonicorum, comitatum & choragium amplificare ſtudentium. Adeoque non habitâ ratione ſervitii, ſed comitatus epiſcopi cum canonicis diſ-

pensaverunt sensim sine sensu; eisque jus percipiendi fructus præbendarum adjudicaverunt. Sed ejusmodi agendi rationem prorsus sensu carere, & de potestate mentis discedere, ac privilegio capite *Ad audientiam* constituto, vehementer repugnare, adeò perspicua veritas est, ut nulla res infirmare possit.

II. Vox comitatus in salebris antiquitatis primâ fronte incurrit capite II. Evangelii S. Lucæ, vers. XLIV. cùm sanctus Joseph & beata virgo Maria sibi persuaserunt Jesum in viâ cum "aliis redeuntibus Jerusalem substitisse. *Consummatisque diebus, cùm redirent remansit puer Jesus in Jerusalem, & non cognoverunt parentes ejus: existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & no-*

tos. Græcus textus habet ἐν συνόδῳ, ſignificatque, cum aliis. in viâ Enimverò σύνοδος ſecundùm Heſychium eſt πολλῶν παρουσία ἢ συνοδοιπόρους Sed hæc ſignificatio minimè ſpectat comitatum epiſcoporum, ex quo non reſidentiæ canonicorum cauſa aſſumitur. Nam qui ſunt in comitatu epiſcoporum, non ſunt cum iis in viâ, ἐν συνόδῳ, ſed in urbe & in curiâ, confecto itinere & peractâ viâ, permanent. Utinam canonici reputarentur eſſe ſicut Chriſtus in comitatu, & ſalvatoris ingeminantes veſtigia invenirentur in templo, in medio doctorum, audientes illos, & interrogantes eos, ceû in ſedibus laudantes dominum & benedicentes! *Et factum eſt poſt triduum invenerunt in templo, ſedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem*

eos. Luc. capite II. verſ. XLVI.

III. Hæc vox comitatus apud veteres ſcriptores Græcos & Latinos, ſignificat curiam principum, & choragium aulicorum hominum in palatiis regum ſæpe gratis anhelantium & trepidè concurſantium. Quod quidem nuſquam convenit epiſcopis, quos *Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 1. de reformat.* jubet ultimum Concilium œcumenicum, non ſolùm *ut modeſtâ ſupellectile & menſâ, ac frugali victu contenti ſint; verùm etiam ut in reliquo vitæ genere ac totâ domo caveant, ne aliquid appareat quod à ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ ſe ferat*. Quod uno verbo S. Paulus *1. ad Timot. c.3. v.3.* ſignificat, dum ait oportere epiſcopum eſſe, *non percuſſorem, ſed modeſtum:* μὴ αἰσχροκερδῆ ἀλλ' ἐπιεικῆ

Comitatus porro mentionem facit

cit

cit Palladius episcopus Helenopolitanus, in dialogis de vitâ S. Chrysostomi, pag. 77. editionis doctissimi Emerici Bigotii; in qua refert Theodorum episcopum Thyanensem longum vale dixisse comitatui, sivè aulæ & curialibus imperatoris, ut in communione Chrysostomi consisteret. Καὶ Θεόδωρος μὲν ὁ Τυάνων ἐπίσκοπος, ἀνὴρ εὐσχήμων συνεὶς τὴν σκευωρίαν ἐξ ὧν ἦλθεν εἰς τὰ ὦτα, αὐτοῦ ἵνα μὴ ἐξακολουθήσῃ τῇ προπετείᾳ Θεοφίλου, ἀσυντάκτως καταλιπὼν τοὺς πάντας, κατέλαβεν ἑαυτοῦ τὴν ἐκκλησίαν, μακρὰν χαίρειν εἰπὼν τῷ Κομιτάτῳ. *Et Theodorus quidem Thyanorum episcopus, vir ornatus, intellectâ conspiratione ex his quæ ad aures ejus venerant, ne Theophili temeritatem sequeretur, insalutatis relictis omnibus, ecclesiam suam repetiit, longum vale dicens comitatui.* Eundem sensum huic

voci adſcribit ſanctus Athanaſius in duabus, quas refert, literis imperatoris Conſtantii apologiæ, pag. 769. quas prodidit Socrates, hiſtoriæ eccleſiaſticæ lib. II. pag. XXIII. Ad hanc ſignificationem mentem aggregat ſanctus Epiphanius contra Ebionæos. ἄνεισι γὰρ ἐπὶ τὸ κομιτάτον τοῦ βασιλέως Κωνσταντίνῳ φιλονεικοῦν), adverſùs Meletianos & Ariomanitas. Eundem ſenſum habent canon XCIII. codicis Eccleſiæ Africanæ, & CVI. Et concilium ſub Menna, actione I. pag. 591. παραγενόμενοι εἰς τὸ κομιτάτον τοῦ γαληνιοτάτου ἡμῶν βασιλέως: *Cùm veniſſemus ad comitatum ſereniſſimi imperatoris noſtri.* Sic intelligunt Balſamon in canonem CVI. Carthaginenſ. pag. DCCXXVIII. εἰς τὸ κομιτάτον ἤγουν ἔνθα ἐστὶν ὁ κόμης, ἤτοι ὁ βασιλεύς. *Ad comitatum, ſive ubi eſt comes vel imperator* Et Zonaras,

pag. ƆDLXXXIII. aitque Κομιτάτον esse παλάτιον. Possidonius in vitâ sancti Augustini sic fatur. *Apud Mediolanum ubi tunc temporis Valentiniani junioris comitatus erat.* Jam verò quis sibi persuadeat, tempore quo fabricatum est caput *Ad audientiam*, voluisse Papam vindicare episcopo Meldensi comitatum principis & imperatoris, stipare voluisse successores Apostolorum satellitibus & excubiis? Quasi verò voluissent his temporibus ecclesiarum cathedralium canonici multò illustriores & splendidiores, quàm nostris, esse ejusmodi choragii, lixæ & mancipia. Hæc quidem incogitabilia videntur & improbabilia. Hæc igitur assumenda sunt, ad concludendum, nec servitium jure expressum intelligendum esse ex comitatu, nec servitium illiberale,

quod canonicos in vitilitigatores & directores litium & rerum forensium transformat. Sed servitium intelligendum est ex officio liberali, & christiano ministerio & spirituali, quo canonici episcopos in moribus investigandis suarum ovium laboriosos sublevant, eisque magno solatio sunt in laboribus & vigiliis, orationibus, visitationibusque intra limites diœcesis peragendis.

CAPUT V.

Senatusconsulta in gratiam canonicorum, nomine comitatûs aut servitii episcopalis non residentium pro iucta, sunt iis adversa & non conducibilia; non secùs ac decreta congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum.

IN commentariis cleri Gallicani, iteratis vicibus impressis Parisiis, hæc senatus-consulta transscripta sunt cum curâ & diligentiâ. Primum verò est parlamenti Parisiensis, datum VIII. Idus Junii anni M. DC. VI. quo sancitum est cancellarium & duos canonicos Meldenses, episcopi

aſſectatores, reputari præſentes, atque ab iis perceptum iri fructûs ſuarum præbendarum, non ſecus ac ab aliis privilegio donatis. Sed ejuſmodi ſenatuſconſultum rem quam tractamus non dirimit nec decidit, de præſentiâ canonicorum aſſectatorum epiſcopi intra vel extra diœceſim Meldenſem. Atque adeò quæſtio integra ſub judice remanet. Verùm enimverò cùm doctrina parlamenti Pariſienſis palàm ſit, debere epiſcopos rariſſimè à ſuâ diœceſi abeſſe, in eâ verò frequenter viſitationibus, verbi divini prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione, diû multùmque laborare: incredibile eſt, præter decretalem *ad audientiam*, quidquam decidere voluiſſe. Nihil igitur ex hoc ſenatuſconſulto aſſumi poteſt, niſi canonicos debere percipere fruc-

tûs ſuorum beneficiorum quandiu in individuo ſervitio epiſcopi & eccleſiæ, ceû conjunctìm commorantur, ſive intra limites diœceſis labores, viſitationes, verbi divini prædicationem, ſacramentorum adminiſtrationem, eleemoſynarum largitionem participant. Cùm enim ſervitium epiſcopi in eâ ſacrorum participatione conſiſtat, & omnibus ſacris extra diœceſim ſine licentiâ epiſcopi ordinarii interdictum ſit, non poteſt intelligi ſervitium ſpirituale exhibitum epiſcopo, niſi ſit ſervitio eccleſiæ propriæ ſociatum, adeòque intra limites diœceſis præſtitum & exhibitum.

11. Eam ob cauſam dubio-procul, cùm anno M. DC. L. poſtridie idus Julii, aliud ſenatuſconſultum decretum fuit in rem canonicorum Remenſium in ſervi-

tio archiepiſcopi commorantium, non dictum eſt privilegium concedi aſſectatoribus aut comitibus, ceû in comitatu epiſcopi, ſed ab epiſcopo electis, & in ſubſidium & auxilium ſibi præſtandum vocatis, gallicè, *qu'il ſe nommera pour l'aſſiſter*, id eſt, labores viſitationum, concionum, &c. intra diœceſim participantibus. Et cùm hæc omnia ſenatuſconſulta ad procurandam decretalis *Ad audientiam*, executionem conſtituta ſint, ex iis per ſervitium epiſcopi & eccleſiæ, ſervitium ſpirituale, miniſterium ſanctum verbi Dei, & adminiſtrationis ſacramentorum intra limites diœceſis propriæ intelligere neceſſe eſt.

III. Hanc veritatem vehementer confirmat aliud ſanctioris Conſilii regii ſenatuſconſultum ab epiſcopo Carnotenſi obten-

tum pridie kalendas Novembris anni M. DC. XL. Quippècùm amplificare vellet privilegium capite *Ad audientiam* concessum, nec satis esse ratus duos canonicos reputari præsentes suo servitio addictos, sed plures jure meritò desiderari, coactus est restrictè se explicare episcopus, & contestatâ lite declarare palàm, id se postulare tantùm ad servitium suæ diœcesis, seû missiones quas vocant, intra limites diœcesis Carnotensis peragendas. Constat igitur planissimè judices seculares, sive regis prætoriales, ex capite *ad audientiam*, nihil aliud intellexisse per servitium episcopi, nisi ministerium ecclesiasticum intra metas diœcesis gestum; adeóque non alium decretali *Ad audientiam*, sensum adscripsisse, quàm concilia Rothomagense &

Aquense, annis M. D. LXXXI. & M. D. LXXXV lege concilii Tridentini acta & celebrata, titulo *de episcopis*, numero XXIV. & *de canonicis*. *Si unum aut duos de dignitatibus vel canonicis episcopus mittat, aut secum pro consilio deducat ad visitandum diœcesim, vel ad concilium provinciale, aut ad aliud pro religione vel diœcesi urgens negotium, non tamen diutiùs excusabuntur, quàm duraverit negotii necessitas.* Et idem Aquense, titulo *De visitatione*. *Cùm verò visitationis munus ipsi per se obeunt, unum vel duos canonicos cathedralis ecclesiæ, vel alios quoscumque homines ecclesiasticos, quos usui & adjumento sibi fore viderint, prout maluerint, secum in eâ visitandi curâ adhibeant, quos pro præsentibus, & divinis assistentibus, durante hujusmodi munere, haberi volumus.* Idem sanci-

verat concilium quartum Mediolanense, titulo *de visitatione*. Hæc enim manifestè perstringunt tempus absentiæ canonicorum, ad negotii seû visitationis diœcesis moram & necessitatem; nec aliud fundamentum habuit præter decretalem *ad audientiam*, de clericis non residentibus. *Absentes dici non debent, sed præsentes, qui cum episcopo, pro ipsius episcopi & ecclesiæ servitio commorantur.*

IV. At verò præmittere non juvat objectum quod fieri solet ex decretis congregationis Romanæ cardinalium, concilii Tridentini interpretum, die 2â Julii anni M. DC. XXXIII. & 19â Junii M. DC. XXXVIII. quibus declaratum est, archiepiscopum Compostellanum, & episcopum Pacensem, posse canonicos in suo servitio permanen-

tes, lege residentiæ solvere & eximere vi decretalium, *De cætero*, & *ad audientiam*. Sed ejusmodi argumentum frangere ac friare quàm facile sit, perspiciet lector. Siquidem congregatio consulta non fuerit de sensu capitis *Ad audientiam*, an definiverit servitium episcopi divisìm à servitio ecclesiæ sufficere, ad obtinendum privilegium non residentiæ? Immò verò sacra congregatio subjiciens ejusmodi servitia episcopi & ecclesiæ esse individua, ut observat Barbosa, de canonicis & dignitatibus capite xxii. declaravit privilegium, hisce decretalibus promulgatum, habere locum in ecclesiis Compostellanâ & Pacensi, non obstante statuto primæ residentiæ quatuor mensium, antequàm canonicus suæ præbendæ fructûs percipere pos-

sit. Quamobrem ejusmodi decreta congregationis interpretum concilii Tridentini quæstionem quam tractamus neutiquàm spectant, nec patrocinantur iis, qui specie comitatus aut servitii episcopi extra diœcesim, lege residentiæ solutos se existimant. Nam, ut ait Barbosa, explicans ejusmodi decretales, *De cætero*, & *Ad audientiam*, & declarationes congregationis Romanæ, interpretis concilii Tridentini, numero v. *Canonicos duos ecclesiæ suæ potest episcopus in sui servitium habere, qui fructûs præbendarum in absentiâ, non tamen distributiones quotidianas percipiant. Præsentes enim quoad hunc effectum dicuntur, qui cum episcopo pro suo & ipsius ecclesiæ servitio commorantur.* Et infra, continenti sermone: *Canonici duo interessentes episcopo ad mentem sa-*

crorum canonum, vel illum in visitatione comitantes, aut visitatorum munere fungentes, non percipiunt distributiones quotidianas, nisi tamen in illis consisterent omnes fructus.

CAPUT VI.

Facultas theologica Parisiensis, & Societas Sorbonica, derogavit privilegio non residendi extra diœcesim, & percipiendi fructûs beneficiorum.

NON videtur melius argumenti genus assumi posse ad recognoscendam in hac causa doctrinam Facultatis Parisiensis, & sententiam, quàm ex impositione pœnæ ab ipsamet iis inflictæ, qui diversam sequuntur & alienam ad praxim reducunt. Id verò ner-

vosè præstat, ac vehementer adversùs canonicos ex suo ordine assumptos, qui, dum in servitio aut comitatu episcoporum commorantur, jus ad percipiendos præbendarum fructûs sibi vindicant. Illis enim omni jure interdicit percipiendi honorarii, quod *Euphemianum* vocant, seû festo die sanctæ Euphemiæ solvi adsuetum iis, qui crimine absentiæ, ceû non residentiæ non inquinantur. Statutum sacræ Facultatis Parisiensis, *De magistris in Theologiâ*, ità se habet. *Omnes qui per majorem anni partem, id est, saltem per septem menses ab urbe abfuerunt*, SIMUL ET QUICUMQUE ABESSE DEBUERINT, PROPTER BENEFICIA, IN QUIBUS RESIDERE TENENTUR, JURIBUS EUPHEMIÆ ET BURSARUM PRIVENTUR: *etiamsi in die S. Euphemiæ legerint. De-*

clarat autem ſacra Facultas ſe nomine Urbis comprehendere, non ſolum urbem, ſed etiam ſuburbia & banleücam, ut vocant, Pariſienſem. Hoc genere mulctæ ejuſmodi reos plectit, & improbat inconſuetam & inconſideratam agendi rationem eorum, qui ſedes eccleſiarum ſuarum deſerunt, iiſque anteferunt comitatûs & ſervitia epiſcoporum extra propriam diœceſim. Ejuſmodi homines abſentes reputat, iiſque omni jure percipiendæ pecuniæ interdicit, rependi ſolitæ ſingulis annis doctoribus, abſque beneficiis inſociabilibus Pariſiis commorantibus.

II. Ipſa domus, ſeû ſocietas Sorbonica, veſtigiis Facultatis inſiſtit. Nam cùm anno M. DC. XXXVIII. decretum de reſidentia conſtituiſſet, omneſque cauſas non reſidentiæ legitimas expoſuiſſet,

ſuiſſet, inter quas recenſuerat prædicationes verbi divini tempore adventûs & quadrageſimæ, & octavæ corporis Chriſti; comitatum epiſcoporum & ſervitium, aut forenſes remoras & litium actiones dirigendas prætermiſit, omneſque ſocios, elapſo trimeſtri, in ſuarum eccleſiarum ſedes relegavit, omni jure activo & paſſivo ſocietatis iiſdem interdixit, niſi legitimas ſuæ abſentiæ cauſas expoſuerint. Huic ſtatuto liberaliter obtemperant quotquot ſunt doctores illuſtres & μεγαλώνυμοι, atque hanc agendi rationem ad praxim reducunt: nec in contrarium vitium incurrunt, niſi homines famâ & nomine carentes, qui cælatâ virtute in pulvere ſcholaſtico languent præſepulti, infimi ordinis dii ac crepidati penates. Alii verò qui

famam & nomen Sorbonicum suâ virtute & scientiâ sustentant cum curâ & fide resident, viderique possunt nunquàm aut rarò Parisiis; sed in vero servitio episcoporum & ecclesiarum commorantur; nostrâ ætate conspici possunt & laudibus extolli Agendici Senonum, Rupellæ, Lussonii, Aureliis, Bellovaci, Carnuti, &c.

CAPUT VII.

Exempla virorum illustrium confirmant, vanum & supervacaneum esse privilegium comitatûs nomine, canonicis absentibus adscriptum.

1 DUBITANDI locum nemini homini relinqui facilè mihi persuadeo, quin doc-

tores theologi, in academiis & ſcholis publicis ſacræ ſcientiæ profeſſores, plus de Eccleſiâ & Republicâ chriſtianâ mereantur, quàm canonici vulgò in ſervitio aut comitatu epiſcoporum conſtituti. Illi enim, quoad fieri poteſt, ignorantiæ omnium errorum matri, quæ *maximè*, ut inquit concilium Toletanum IV. canon. 25. *in ſacerdotibus Dei vitanda eſt*, remedium adferunt. Verumtamen ex iis profeſſoribus qui nomen ſuum potiſſimè illuſtrarunt, & ad poſteros tranſmiſerunt, ab ejuſmodi beneficiis reſidentiam exigentibus ſeſe liberaliter abſtinuerunt, eaque religioſè repudiarunt..

11. Ex vitâ S. Edmundi archiepiſcopi Cantuarienſis intelligimus theologiam docuiſſe Pariſiis ſæculo XII°, totoque tem-

pore professionis canonicatus variarum ecclesiarum repudiasse; iisque se libenter abdicasse, cùm officiis theologicæ professionis & residentiæ satisfacere securâ conscientiâ non posset.

Andreas du-Vallius, doctor theologus Parisiensis, & regius in Sorbonâ theologiæ professor Parisiis, in servitio summi pontificis, si unquam theologus extitit, sibi oblatum, Ludovico justo regnante, archiepiscopatum non accepit, cum cathedrâ Sorbonicâ, quam relinquere nefas reputabat, insociabilem. Quis dubitat quin mille canonicatûs & præbendas, professioni theologicæ repugnantes, reliquisset, & summi pontificis servitio contrarias suggillasset?

Godeau Poeme de la Sorbone.

Jacobus Hennequinus doctor

theologus Parisiensis, domûs Sorbonicæ lector, spatio annorum quinquaginta, tenui mercede ducentarum librarum exornatus, thesaurariam & præbendam Trecensis ecclesiæ, nullâ retentâ pensione, dimisit, suæ professioni addictus extra urbem Trecensem, in comitatu & consiliis cardinalis Richelii, & regis christianissimi servitio commoratus.

Jacobus Sambœuvius universi orbis theologus, morum sanctitate & rerum divinarum sublimi scientiâ illustrissimus, societatis Sorbonicæ, in Academiâ Parisiensi professor regius, viginti & amplius præbendas ecclesiarum cathedralium, aliasque dignitates sibi ab episcopis Galliæ, suis plerumque discipulis, quorum in servitio & comitatu poterat faciliter commorari, oblatas repudia-

vit, ne professionem deserere, & servitium eorum & ecclesiarum abdicare teneretur. Insuper consultationi capituli Carnotensis, adversùs canonicos theologicæ professionis causâ non residentes, subscripsit, kalendis Decembris anno M. DC. LXVIII.

Joannes Launoïus Constantiensis, theologus Parisiensis, è regiâ Societate Navarricâ, nostri sæculi Aristarchus sacer, lætâ paupertate honestus, cùm Parisiis permanere sibi necesse esse existimaret, ut infinita opera theologica publicaret, quibus Ecclesiæ Gallicanæ jura & libertates tuendas receperat, episcopi adhuc in vivis superstitis, scientiâ, nobilitate ac amplitudine eminentissimi, qui cùm familiariter vivebat, contubernalis, postpositis literis comitatûs aut servitii, canonica-

tum Laudunenſem dimiſit, & infinita alia beneficia ad reſidentiam obligantia, & victu & veſtitu contentus, repudiavit.

Thomas Stapletonus, Academiarum Lovanienſis & Duacenſis decus, à Clemente VIII. ſummo pontifice Romam vocatus, ut protonotarii apoſtolici munus impleret, mox ad pileum roſeum inter patres purpuratos accerſendus, profeſſionem theologicam antepoſuit, cum ejuſmodi oneribus & honoribus inſociabilem.

III. Anno M. DC. VI. Sorbona in generalibus comitiis congregata, ut acceptaret fundationem, ſeû creationem cathedræ theologicæ, quam inſtituerat ære proprio illuſtriſſimus Peliayus regiarum rationum conſiliarius, ſive magiſter, his conditionibus impoſitis annuis, ut ſcilicet, *electus*

professor non habeat beneficium obligans ad residentiam, qualis esset extra urbem canonicatus. Eandem conditionem imponi curavit in diplomate fundationis regiæ cathedræ, quam Ludovicus XIII. justus rex christianissimus instituit anno M. DC. XVI.

Jam verò quis humanæ mentis compos sibi persuadeat tot tantosque viros consociatione professionis theologicæ & canonicatûs ecclesiæ cathedralis attonitos, sustinere potuisse literas comitatûs & servitii extra diœcesim, ne residentiæ officiis ecclesiasticis debitæ satisfacerent.

CAPUT VIII.

Concilii Tridentini patres existimaverunt penès episcopos non existere jus dispensandi cum canonicis à residentiâ.

I. CONCILIUM Tridentinum, impositâ lege residentiæ canonicis, ad obtemperationem eos cogi vult: *Ab episcopis, juris remediis*, inquit, *residere cogantur*: Omniaque indulta perpetua, in detrimentum residentiæ obtenta, aut ad fructûs beneficiorum percipiendos, irrita & nulla declarat, sessione scilicet VI. de reformatione, capite 2. *Episcopis inferiores quævis beneficia ecclesiastica personalem residentiam exigentia, in titulum sive commen-*

dam obtinentes, ab eorum ordinariis, quemadmodum iis pro bono ecclesiarum regimine & divini cultûs augmento, loco & personarum qualitate pensatâ, expediens videbitur, oportunis juris remediis residere cogantur, nullique privilegia, seû indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentiâ percipiendis, suffragentur. Certum est, penès episcopos singulatìm nullum jus existere dispensandi à canonibus & legibus, concilii generalis autoritate sancitis, nisi ejusdem concilii autoritate sit eisdem adscriptum. At verò lex residentiæ his verbis concepta legitur sessione XXV. capite XII. *Obtinentibus in eisdem cathedralibus aut collegiatis, dignitates, canonicatûs, præbendas, aut portiones, non liceat, vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses*

ab eiſdem eccleſiis quolibet anno abeſſe. Facultas verò diſpenſandi ex ſeſſionis VI. capite 2. continenter his verbis, tanquàm è pumice aqua, extrahitur. *Indulgentiis verò & diſpenſationibus temporalibus, ex veris & rationabilibus cauſis tantùm conceſſis, & coram ordinario legitimè probandis, & in ſuo robore permanſuris.* Utcumque res ſint, qua ratione hoc diſpenſandi jus penes epiſcopos exiſtat, & ad praxim reduci poſſit, ex ſancto Bernardo perſpectum habemus, libro III. *De conſideratione*, ad Eugenium III. *Quid prohibes, diſpenſare, non, ſed diſſipare. Non ſum tam rudis, ut ignorem vos poſitos diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi neceſſitas urget, excuſabilis dispenſatio eſt; ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt. Utilitas dico communis, non pro-*

pria; *nam cùm nihil horum eſt*, *non planè fidelis dispenſatio*, *ſed crudelis diſſipatio eſt.* Duas igitur ob cauſas dumtaxat diſpenſatio fieri poteſt, ſcilicet neceſſitatem, quæ reddit excuſabilem, & utilitatem publicam, hoc eſt, ſervitium eccleſiæ ſeû diœceſis propriæ, & ſubſidium epiſcopo allatum, ad ſuſtinendos labores viſitationum & verbi Dei prædicationum, quæ prohibet quominùs in diſſipationem degeneret.

11. At verò ſi fortè contingat epiſcopum ſecùm ducere canonicum familiarem & contubernalem, non ad eccleſiæ ſervitium, reverà utilitas propria, non communis exſurgit: adeóque non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt. Quam utilitatem, aut quam fructûs ubertatem percipere poteſt eccleſia ab ho-

minibus canonicis extra diœcesim palantibus, negotiosè otiosis, nec ad comitia generalia cleri, aut ad concilium generale aut provinciale deputatis? Quàm è contrà conducibiles sunt canonici episcopi assectatores & adjutores, catechisandis rudibus apti, sacramentis administrandis idonei, verbi divini prædicatioui expediti, quis dubitet istiusmodi canonicos debere præsentes reputari?

III. Goffridus Vindocinensis, qui penè æqualis sancti Bernardi fuit, circa annum Christi M. C. XXX. ad ejus sententiam mentem aggregavit de dispensationibus, nec reputavit concedi opus esse dispensationem, propter utilitatem propriam & non communem, sed Reipublicæ & Ecclesiæ Christi conducibilem. Quippè

ſic fatur tractatu *de ordinatione epiſcoporum, & inveſtiturâ laïcorum*, in quo explicat diſpenſationes quæ à pontificibus ſummis, à fortiori, ab epiſcopis poſſunt concedi. *Diſpenſationes quidem*, inquit, *in eccleſiâ faciendæ ſunt non amore pecuniæ, vel quolibet humano favore, ſed piâ & miſericordi intentione. Tunc enim à paſtore eccleſiæ diſpenſatio piè & miſericorditer fieri creditur, cùm aliquid minùs perfectè ad tempus fit ab illo, vel fieri permittitur, non voluntate ſuâ, ſed aliorum neceſſitate, nè in ipſis videlicet fides chriſtiana periclitetur. Sic igitur facienda eſt diſpenſatio ab eccleſiâ, ut fidei noſtræ veritas inſtruatur; & ſi quid aliter ad horam factum fuerit vel permiſſum, oportuno tempore corrigatur.* Quis ſibi perſuadeat canonicos, qui Pariſiis in directione litium

& actionum forenſium tempus conterunt, & nomine comitatus fructûs præbendarum ſuarum percipiunt, id non præſtare amore pecuniæ, vel quolibet humano favore, ſed piâ & miſericordi intentione? Numquid non potiùs impiâ & immiſericordi? Quippè cùm idem Goffridus continenti ſermone *de diſpenſationibus* dicat. *impium & ſacrilegum eſſe quodcumque humano facto inſtituitur, ut diſpenſatio Chriſti violetur.* Quis dicat ejuſmodi canonicos Pariſiis commorari, *non voluntate ſuâ, ſed aliorum neceſſitate, nè in ipſis videlicet fides chriſtiana periclitetur*: quaſi verò hæc ipſis data ſit & pacta diſpenſatio, *ut fidei noſtræ veritas inſtruatur?* Appello igitur ad eorum conſcientiam; nec adeò pudore & fide vacuam fore reor, ut reſpondere poſſint. Mihi verò

præter hæc verba Goffridi, nihil addendum supereſt, poſtquàm probavit diſpenſationes ipſas pontificum inanes & ſupervacaneas eſſe, niſi ad bonum commune reipublicæ chriſtianæ, aut tuendam fidem, conceſſas. *Si quis verò aliter in Eccleſiâ diſpenſationes facit, rationi ſimul & veritati contradicit. Nec ſolùm lucernam ardentem non habet, verùm etiam aliorum ardentes extinguit: & ideò non rectè dicitur Chriſti vicarius, ſed dux cæcorum eſt ipſe cæcus.*

CAPUT IX.

Argumentum aſſumitur ex officiis dignitatum capitularium, quo probatur non poſſe præſentes reputari aut percipere fructûs præbendarum ſuarum, etiam ſi in ſervitio & comitatu epiſcoporum commorentur extra diœceſim propriam.

1, DECANI ſolent habere curam animarum, & correctionem morum omnium, jure aut conſuetudine choro eccleſiæ aſſiſtentium & præeſſe comitiis capituli. At quî fieri poteſt ut officiis ejuſmodi ſatisfaciant, aut functionibus liberentur, ſi diù extra diœceſim ſint aſſectatores epiſcopi? Quamobrem ec-

clesiæ metropolitanæ Senonensis decanus, ex sex mensibus quibus cum aliis canonicis tenetur singulis annis interesse officiis ecclesiasticis, juramento, die quo possessionem adipiscitur præstito, septem & decem dies eximere potest, conferendos in visitationibus diœcesis excitus ab archiepiscopo.

11. In plerisque ecclesiis præpositus est etiam præses capituli, eique præter infinita negotia, fructûs communes & annonam capituli spectantia, *incumbit spiritalem zelum veræ religionis habere sanctæ conversationis nocte dieque canonicis partitis horis, correctionem morum, per gravitatem levitatis motum deprehendere; vaniloquium sanctis in locis & horis suo vigore omnino depellere; omnes negligentes publicè deprehensos in ca-*

pitulo omnium fratrum judicio punire his tribus modis, id est, aut carcere, aut separatione mensæ, sive in omnium verberum diversitate: cujus etiam prudentissima circumspectio decanis sibi suppositis invigilare debet, ne unus quidem à maximo usque ad minimum, absque ejus conscientiâ & licentiâ unius diei spatio nequaquàm ab officii sui loco desit. Hæc omnia habentur in codice ecclesiæ Remensis, cum historiâ Flodoardi compacto, quam publici juris fecit reverendus pater Jacobus Sirmondus Societatis Jesu. Hunc titulum præ se fert codex: *De ministris Remensium ecclesiæ, quos inordinatè Ebbo episcopus invenit, & per deprecationem eorum, inspirante sancto Spiritu, hæc dictavit.*

Insuper præpositus Remensis arctâ tenetur residentiâ vi jura-

menti, quo in ſui adeptione beneficii aſtringitur. Intelligimus enim ex formâ ceû ordine receptionum & juramentorum canonicorum, dignitatum, & aliarum perſonarum eccleſiæ Remenſis, extractâ, ex antiquo codice manuſcripto, ſub titulo antiquarum dictæ eccleſiæ conſuetudinum, per reverendiſſimum dominum Guilelmum Filiaſtry utriuſque juris doctorem, decanum ejuſdem eccleſiæ, ſanctæ Romanæ eccleſiæ preſbyterum cardinalem, teneri ratione ſuæ dignitatis ad ſacerdotium promoveri de jure, *atque etiam perſonaliter reſidere, nec licere ei, ſine licentiâ capituli, extra Remos pernoctare; quia ratione ſuæ dignitatis in capitulo Remenſis eccleſiæ debet primus præſidere, & debet inſtallari in dextrâ parte eccleſiæ Remenſis.*

Eas ob causas, postpositâ ratione curationis animarum, doctissimus Jacobus Sambœuvius regius theologiæ professor in Sorbonâ, palàm docuit episcopum non debere, nisi brevi aut fortè trimestri tempore, ad suæ diœcesis visitationem excire suæ ecclesiæ decanum. Lege decisionum moralium tom. 2. casu 22. pag. 94. *Il est de la prudence*, inquit, *& de la charité de l'Evéque de ne se pas faire accompagner dans ses visites par le doyen de son eglise cathedrale, s'il peut s'en passer, pour ne point le détourner du service qu'il doit rendre, comme estant le premier du chapitre de son eglise.* Has decisiones Sambœuvii perhonorificâ & amplissimâ approbatione suas fecerunt, & tuendas receperunt doctores Facultatis Parisiensis omni exceptione majores, COURCIER

ecclesiastes ecclesiæ Parisiensis, & LE FEBVRE sacræ theologiæ professor regius, mense Novembri anno M. DC. XCI.

III. Cantor est oculus chori, & officium ecclesiasticum regere ad eum attinet. Pœnitentiarius nocte dieque debet esse paratus ad excipiendas fidelium confessiones, & imponendas pœnitentias. Ecclesiastes verbum Dei prædicare, & in schola capituli singulis hebdomadis sacram scripturam explicare. Quæ cùm ita sint, luce meridianâ clarius patet, ejusmodi functiones non posse ab absentibus extra ecclesiam & diœcesim commorantibus ad praxim reduci & perfici: adeóque nisi sit eorum in diœcesi propriâ perpetua permansio, & ad servitium ecclesiæ spirituale applicatio, jus nullum

eis competere poteſt ad percipiendos fructûs beneficiorum. Immò verò jure meritò ad eoſdem reſtituendos debent cogi, & vehementer adſtringi.

CAPUT X.

CONCLUSIO.

HÆc igitur omnia aſſumenda ſunt ad concludendum. Alexandrum III. capite *de cætero*, & Honorium III. capite *ad audientiam*, intellexiſſe privilegium conceſſum canonicis dumtaxat, quos epiſcopi adjungunt & aggregant ad epiſcopatûs clavum moderandum, ad partem aliquam ſollicitudinis, curarum conſortes, laborumque paſtoralium, ad levamen epiſcopalis ſarcinæ, participes ſociosque labo-

rum regendæ, visitandæque totius diœceseos, nec alia eis προσόδια adscripta fuisse, quàm quæ conceptis verbis habentur in concilio Mechliniensi anni M. D. LXX. *Ut si quis in negotiis ecclesiæ aut episcopi statis horis interesse nequiverit, pro interessente divinis habeatur, atque ut talis distributionibus gaudeat. Intelligit synodus in ecclesiæ negotiis occupari non solùm eos qui capituli vel fabricæ negotia tractant, sed & episcopum, archidiaconum, pœnitentiarium, atque illos omnes qui propria dignitatum vel præbendarum suarum munera obeunt, aut episcopis Ordines conferentibus, visitantibus, aut in aliis episcopatûs negotiis occupatis adsunt, vel aliquò ab eis jussi consilium & operam suam impendunt pro eo tempore, fraude & dolo seclusis; decernit pro præsentibus reputari, & om-*

nibus emolumentis gaudere debere, ſicuti ſi perſonaliter divinis intereſſent. Ex his enim plenè planiſſiméque conſtat, per negotia epiſcopi intelligi epiſcopatûs negotia, ſive diœceſis ſpiritualia, eaque pro tempore, fraude & dolo ſecluſis, poſtpoſitis vitilitigationibus, litibus fictis, jurgiique cauſis temerè & inconſultò illatis, quibus epiſcopi pro ſuâ ſpecie & amplitudine, quæ Chriſti & Dei eſt adorandi, negotioſi patres efſiunt, & patroni otioſorum hominum, ſeû canonicorum ſimulatione & nomine ſervitii inutilis & comitatûs faſtidioſi, eccleſiarum ſedes cum injuriâ & opprobrio deſerentium.

FINIS.

APPROBATION de Monſieur Petitpied Docteur en Theologie, de la Maiſon & Societé de Sorbonne, Chanoine de l'Egliſe de Paris.

J'Ay lû par ordre exprés de Monſeigneur le Chancelier un Manuſcrit intitulé *Marcelli Ancyrani theologi diſquiſitiones duæ de reſidentiâ Canonicorum, quibus acceſſit tertia, de tactibus impudicis, an ſint peccata mortalia vel venialia; cum colloquio critico de ſphalmatis virorum in re literariâ illuſtrium*; dans lequel je n'ay rien trouvé qui ne ſoit conforme à la foy catholique, apoſtolique & Romaine. En foy de quoy j'ay ſigné le preſent Certificat, pour témoigner à Monſeigneur le Chancelier qu'il pouvoit, s'il luy plaît, en accorder un Privilege. A Paris ce 12. Avril 1695.

N. PETITPIED.

Summma Privilegii Regis christianissimi.

CAUTUM est autoritate regis, ne quis in regno suo, aliisve locis suæ ditioni subjectis, intra octo annos proximos, librum qui sic inscribitur, *Marcelli Ancyrani Doctoris Theologi disquisitiones duæ de residentiâ canonicorum, quibus accessit tertia de tactibus impudicis, an sint peccata mortalia vel venialia, cum Colloquio critico de sphalmatis virorum in re literariâ illustrium*, absque Joannis Couterot typographi permissu, imprimat aut divendat, à die publicationis horum exemplarium: qui secùs fecerit, mulctâ indictâ, prout amplius in diplomate regio continetur, mulctabitur. Datum Parisiis die 11. Junii 1695. Sic signatum de mandato Regis, DE ROSSET.

Registratum in libro Communitatis Bibliopolarum Parisiensis, die 28. Junii 1695. Signatum, P. AUBOUYN, Syndicus.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 15. Septembre 1695.

LIBRI INFRA SCRIPTI veneunt in Officinâ JOANNIS COUTEROT.

De Adoratione Euchariſtiæ, lib. 2. quibus accedit Diſquiſitio theologica de præcepto divino Communionis ſub utraque ſpecie. Autore Jacobo Boileau.

Ad Decretalem ſuper ſpecula. *De Magiſtris*. Honorii III. ſummi Pontificis, ex lib. V, Decrett. Gregorii IX. &c.

Marcelli Ancyrani Doct. Theol. Diſquiſitiones duæ, *de reſidentiâ canonicorum*; quibus acceſſit tertia. *de tactibus impudicis, an ſint peccata mortalia vel venialia*, cum colloquio critico *de ſphalmatis virorum in re literariâ illuſtrium*.

Diſquiſitio theologica, de charitate, ad obtinendam veniam peccatorum in ſacramento Pœnitentiæ per contritionem neceſſariâ.

Traité du Corps & du Sang du Seigneur, composé en Latin, il y a plus de huit cent ans, par Ratramne, ou Bertram, Preſtre Religieux de l'Abbaye de Corbie: Traduit en François, avéc des Remarques. Par M. Boileau.

Canonicus ſæcularis & regularis, &c.

Ceremoniale Canonicorum, &c.

Ceremoniale Eccl. Pariſienſis.

Codex regularum Holſtenii.

LIBRI INFRA SCRIPTI veneunt in Officinâ JOANNIS COUTEROT.

DE Adoratione Euchariſtiæ, lib. 2. quibus accedit Diſquiſitio theologica de præcepto divino Communionis ſub utraque ſpecie. Autore Jacobo Boileau.

Ad Decretalem ſuper ſpecula. *De Magiſtris.* Honorii III. ſummi Pontificis, ex lib. V, Decrett. Gregorii IX. &c.

Marcelli Ancyrani Doct. Theol. Diſquiſitiones duæ, *de reſidentiâ canonicorum*; quibus acceſſit tertia. *de tactibus impudicis, an ſint peccota mortalia vel venialia*, cum colloquio critico *de ſphalmatis virorum in re literariâ illuſtrium.*

Diſquiſitio theologica, de charitate, ad obtinendam veniam peccatorum in ſacramento Pœnitentiæ per contritionem neceſſariâ.

Traité du Corps & du Sang du Seigneur, composé en Latin, il y a plus de huit cent ans, par Ratramne, ou Bertram, Preſtre Religieux de l'Abbaye de Corbie; Traduit en François, avéc des Remarques. Par M. Boileau.

Canonicus ſæcularis & regularis, &c.

Ceremoniale Canonicorum, &c.

Ceremoniale Eccl. Pariſienſis.

Codex regularum Holſtenii.